


Sum Georgii Ben-
dellii

MELCHIORIS ZEIDLERI,

Philos. ac Theol. Doct. & antehac istius, hinc hujus in Academia Regiomontana P.P. nec non Aulici Concionatoris

PRODROMUS, INTRODUCTIONI

In

Lectionem Aristotelis, causas obscuritatis Philosophi hujus, quoad verba pariter & res, ac modum ambo tractandi, aperienti & remedia ejus circa singula ista suppeditanti, quæ brevi, favente Deo, sequetur, præmissus.

REGIOMONTI,
Ex Officinâ MATTHÆI GILBERTI,
1 6 8 0.

VIRO

Perillustri, Reverendissimo, Magnifico, Generosissimo & Excellentissimo,

DN. AHASVERO
à LÖHNDORFF,

Serenissimi Electoris Brandenburgici Supremo per Prussiam Regiminis Consiliario, nec non Supremo Mareschallo, Generali Militiæ Legato, & Equiti Ordinis S. Johannis, Hæreditario Domino in Steinorth, Taberlack &c.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO

Gratiam à Deo, omnigenamque prosperitatem!

VIR
PERILLUSTRIS, REVERENDISSIME, MAGNIFICE, GENEROSISSIME & EXCELLENTISSIME, DOMINE ac PATRONE GRATIOSISSIME,

QVod Ariſtoteles palmam præripuerit omnibus, quotquot Philoſophiæ ſolidiori operam navarunt, nullus hactenus eorum, qui absque præconceptis opinionibus judicare amant, in controverſiam vocare eſt auſus. Cùm enim alii Philoſophiam fabulis aut ænigmatibus involverent, alii Dialogis includerent, alii numeris & figuris Mathematicis obſcurarent, alii aliâ ratione ac viâ traderent, ſolus hic analyticam ſeu demonſtrativam methodum, ex principiis certis & inductione manifeſtis procedentem, quâ antehac ſoli fermè Mathematici uſi fuerant, quæque ſola ſcientiis, naturæ lumine colluſtratis, docendis idonea eſt, aptavit. Ex quo tanta ejus demonſtrationibus vis ineſt, ut nullus, qui eam penetravit, iis valeat repugnare. Fateturqve rotundè & Macrobius, *ſe non poſſe non aſſentiri viro huic, à cujus inventis nec ipſa diſſentiret natura.* Atque hinc & alia illi nata ſunt elogia, quibus ab optimis quibusque Scriptoribus paſſim ornatur. Cicero ſanè eum *virum* vocat *ſummo ingenio, ſcientia & copiâ, quo nihil ſit politius, nihil acutius, nec quisquam doctior aut acrior in rebus vel inveniendis, vel dijudicandis.* Plinius

nius autem *summum in omni doctrina virum*, item *virum opinione ac sapientià præstantem:* Apulejus denique *prudentissimum & doctissimum Philosophum* appellant. Ut taceamus nunc alios, maximè Aven-Rhoën, qui non dubitat eum *regulam* nuncupare & *exemplar, quod natura invenerit ad demonstrandam ultimam perfectionem humanam, intellectum* autem ejus *finem* dicere *humani intellectus.* Factum quoque hinc, ut scripta ejus pedetentim in scholas publicas introducerentur, & quidem non privata, sed publicà auctoritate. Refert enim jam de Carolo Magno Curio in Chronicis, quod in Academia Parisiensi tradi jusserit Aristotelem, *eò quod nemo alius inter Græcos & Latinos extaret absolutior artifex veri inquirendi.* De Chrosoë quoque, Persarum Rege, auctor est Agathias Historiarum secundo, quod *in memoriam trajecerit cuncta illius scripta.* Sed & de Friderico II. Imperatore Pandulfus Collenutius libro quarto memoriæ prodidit, quod operum ejus à Saracenis acceptorum translationes ex lingva Græca & Arabica in Latinam fieri curarit. Sed unum est, de quo haud parum queruntur etiam viri judicio pariter ac ingenio pollentes, videlicet tantam esse Philosophi hujus in scribendo obscuritatem, ut facilius nonnunquam sit oraculi sententiam divinare, quàm ejus assequi mentem. Nempe, qvum quatuor fermè sint, quæ perspicuam reddere valeant orationem, videlicet res ac verba, & tractatio amborum, ceu colligere est ex iis, quæ

de

de perſpicuitate orationis diſputant Dionyſius Halicarnaſſeus lib. de Oratoribus antiquis & Hermogenes lib. I. de formis orationis cap. IV: è contrariò non exigua in ſingulis his in ſcriptis laudati Philoſophi ſeſe obſcuritas offert, adeò, ut Themiſtius inter Interpretes laudati Philoſophi nullo, niſi fortè Alexandro, inferior illum *ſepiæ* alicubi conferre non dubitet, quod, ut hæc occultare ſe volens piſcatoribus atramentum aſpergit, ita ille ſcriptis ſuis aſperſerit obſcuritatem. Ammonius quoq; Comment. in libr. de Interpretatione queritur, Philoſophum hunc *atræ Sphingis* vocem interdum imitatum magna Interpretibus negotia faceſſere, ut ægrè ſenſum verborum ejus deprehendant. Non fruſtra autem conſilium hoc ſeqvutus fuit, ſed, teſte Ammonio pariter & Simplicio præfat. in librum Categoriarum, *ut hoc ipſo legentes redderet attentiores, ut quæ dicerentur, probè expenderent & conſiderarent, atq; hoc ipſo ingenioſiores redderentur.* Veri namq; auditores, qvò obſcuriora ſunt, quæ dicuntur, eò ſtudioſius advertunt, ac tanto majori conatu ad intima pervenire contendunt. Neqve verò tanta eſt dictionis, huic Philoſopho familiaris, obſcuritas, ut ſuperari non poſſit ab iis, qui debitam ſolertiam ac induſtriam adhibent & ſtylo ejus paulatim aſſveſcunt, cujus indolem ubi cognoverunt, tantò majus hinc ex lectione ejus capiunt emolumentum, quantò plus ante in aſſequenda mente ejus laborarunt. Non exiguam namque vim locutio ejus oſtendit, quippe qui, ut iterum Simplicius loco citato,

paucis ſæpe numero tradit ea, quæ alius vix multis docuerit ambagibus & periodis, ſeu magno circuitu verborum. Sed nec deſunt remedia adverſus prædictam obſcuritatem. Ea ut invenirem, aliisqve oſtenderem, ex eo tempore, quo SERENISSIMUS ELECTOR, Dominus ac Nutritius meus clementiſſimus, me Philoſophiæ in Academiâ hâc Profeſſorem conſtituit, nullum non, quantum quidem per Eccleſiaſticos labores mihi licuit, movi lapidem, eâque fini, antequam iſtam provinciam, jubente ita rurſum Sereniſſimo, deponerem, atqve aliam in Theologiâ ſuſciperem, Introductionem in lectionem Ariſtotelis adornavi, in quâ de cauſis obſcuritatis ejus prolixè diſſerui atque adminicula tollendæ illi idonea tàm circa verba, quàm res, atque amborum tractationem, ſubminiſtravi, ſingula exemplis, & quidem ex textibus, præ aliis obſcurioribus, neque exigui momenti, petitis, illuſtrans, qua occaſione factum, ut aliquot centum locis, crucem aliàs interpretibus, illa exponentibus, figere ſolitis, lux, ut arbitror, haud exigua illic ſit conciliata. Ne autem illotis, quod dicitur, manibus labori huic me accingerem, putavi ante omnia referre, ut ei diſſertationes quasdam de conditione librorum Ariſtotelis præmitterem, quæ & jam ante viginti annos hîc typis commiſſæ, ſed poſtmodum horis ſucciſivis à me recognitæ & non parùm auctæ fuerunt. Eas, ita locupletatas & Prodromi in Introductionem iſtam vices ſubeuntes, una cum Introductione ipsâ ut imprimendas ſibi traderem, rogavit juvenis egre-

egregius & tàm doctrinâ liberaliori, quàm virtute ac pietate insigniter instructus, HIERONYMUS GRUBERUS. Natus hîc Regiomonti honestis pariter ac in dignitate constitutis parentibus pro eâ, qua pollebat, ingenii bonitate paucis annis in Philosophiâ non minus, quàm Theologiâ, tantos fecerat progressus, ut, si fata superstitem illum voluissent, is patriæ & rei literariæ sine dubio, Deo annuente, singulari aliquando futurus fuisset & ornamento & emolumento. Verùm Deo aliter visum. Cùm enim ille ex eorum esset censu, qui, ideò, quod sapientiæ litant & vitam sine labe ducunt, chari Deo habentur, è medio properè eum sustulit, atqve ad vitam verè beatam & ab omni miseria liberam plenum fide, charitate ac patientiâ, cujus per totum iniquæ, quâ conflictatus fuerat, valetudinis tempus, specimina satis luculenta ediderat, traduxit. Hujus optimi juvenis præmaturus obitus fecit, ut Introductio prænominata lucem publicam hactenus nondum viderit, quod tamen brevi, cum alii sint, qui editionis curam in se suscepturi sint, DEO annuente, futurum spero. Quaterniones interim aliquot Prodromi, beatè defuncto adhuc vivente, typis exscripti fuerunt, quos una cum papyro, quam illi destinaverat, mihi, qui largam ei pro liberalitate hac in altera vita compensationem animitus precor, legavit, qua instructus potui ea Tractatus istius, quæ adhuc reliqua erant, maximam partem dare excusa. Quem autem ei Patronum quærerem, prolixa deliberatione non erat opus. Tu enim, ut tu-

endi

endi eum ſat amplâ virtute prẹditus es, qvippe jamdudum & rerum ſingulari peritiâ & heroicâ fortitudine ac magnãimitate, tam foris, quàm domi, inclytus, ita toties tantum mihi favorem infallibilibus documentis probaſti, ut nullus dubitem, quin fœtum hunc tutelæ Tuæ commiſſum, eâ, qua ſoles, fronte, ſerenâ ſcilicet, ſis & ſuſcepturus & ſub umbrâ protectionis Tuæ locaturus. Plura & majora jam elaborata non in Philoſophiâ ſolùm, ſed & Theologiâ dediſſem, ſi fortunam adeò faventem habuiſſem hactenus, atq; adverſantem. Non aſpernaberis tamen, ſcio, etiam pauca hæc & exigua, non quod datur, ſed quo animo detur, gratioſè conſideraturus. Quod muneri deeſt, precibus & officiis meis ſubmiſſis compenſare annitar. TU interim vale atque proſpere age ſemper. Sedes ad clavum regiminis patriæ noſtræ chariſſimæ, illudq́; conſiliis tuis, prudentiæ & fidelitatis plenis, feliciter juvas & fulcis. Ut ex voto etiam deinceps cuncta TIBI præcipue huc collineantia, cedant, Tuq́ve ſi non æternùm, quod mortalibus datum non eſt, diu tamen bono Patriæ publico præſis ac proſis, faxit is, per quem & Principes dominantur & Conſiliarii eorum ſalubria in medium conſulunt & decernunt. Habes ex privilegio ordinis Eqvitum Hoſpitalariorum S. Johañis Hieroſolymitani ſive Melitenſium, quibus heroica Tua facta adſcribi *Te* meruerunt, inter alia inſignia & *crucem*. Quàm ſalutiferum autem hoc ſignum ſit, me etiam tacente, quàm optimè noſti. Cruce enim debellatæ ſunt à

Chri-

Christo Servatore nostro, omnes inimicæ potestates. Hæc verò & nostra, ut mihi id de suo largiatur S. Martialis, est *armatura invicta contra Satanam: hæc galea, custodiens caput: hæc lorica, protegens pectus: hæc clypeus tela maligni repellens: hæc gladius iniquitatem & angelicas insidias perversæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens.* Hæc animum addebat Constantino contra Maxentium belligeranti. Videbat enim in aëre columnam crucis formam referentem cum inscriptione tali: *In hoc signo vinces.* Cujus & hinc effigiem pro signo sibi præferens ad pontem Milvium felici sidere cum hoste conflixit, Maxentioq́ve in transitu è navi in Tiberim prolapso & gurgitibus hausto victor urbem, tyrannide ereptam, est ingressus. Paucis, *per crucem*, ut Augustinus loquitur, *& mundus vincitur & Diabolus superatur.* Hæc Te victorem stitit indutum sagâ eoque nomine non solùm magno nostro FRIDERICO, cujus sceptra Deus porrò secundet, sed & potentissimo DANORUM REGI, aliisq; magnatibus commendavit & acceptum fecit: eadem Te & nunc, togâ ornatum, roboret & confortet, ut ejus vi omne id, quod Tibi, consiliisque Tuis est adversum, profliges, confringas, conteras, Patriaq́ue nostra Tuis reliquorumq́ve Patrum ejus prudentissimis consiliis ac ope, prosperante Numine, porrò adjuta nova subinde incrementa sumat, floreat, vigeat, Tibiqve pariter ac illis nomen inde maneat immortale. Est crux, quâ insignitus es, octogona eaqve candida, indeqve index

& pu-

& puritatis conscientiæ, quam semper amasti, & octo istarum beatitudinum, ad quas accessus patet omnibus, qui legitimè militant sub vexillo crucis Christi. Purum & deinceps Deus Spiritum Tuum juxta cum corpore & animâ servet, atque cunctis iis beatitudinibus & Te & domum Tuam ac familiam totam affluere faciat is, qui fons est omnis salutis ac prosperitatis! Quod ut fiat, exorare supremum Numen, quamdiu Spiritus hos alet artus, non intermittam, quippe

Perillustris, Reverendißimi ac Magnifici Tui Nominis

Ex Museo meo
Idibus Julii, quibus Sec. XI. à C. N. à Christianis vi crucis Servatoris Hierosolyma fuit expugnatm, Anno M.DC.LXXX.

devotissimus cultor

MELCHIOR ZEIDLER, D.

VEtus & pervagata est librorum *Aristotelis* distributio in *Acromaticos* & *Exotericos*. De eâ nãq;, si plerisq; credimus, jam loqvutus est *Cicero*, scriptor antiqvissimus, qui ante natum floruit Servatorem, lib. V. *de finibus bonorum & malorum*, qvum ait, *Peripateticos* duo habuisse de summo bono librorum genera, unum *populariter* scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellârint: alterum *limatius*, quod in *Commentariis* reliquerint posteritati. *Peripatetici*, ut notum est, dicuntur Philosophi, qui *Aristotelem* Principem agnoscunt & seqvuntur; cujus Philosophia *Peripatetica* dicta est, sive ἀπὸ τῆς ἐνεργείας, quod deambulando cum discipulis philosophari soleret, ut placet *Diogeni Laërtio lib: V. in vitâ Arist.* & *Ammonio* in *vitâ ejusdem:* sive ἐκ τοῦ τόπου, quod doceret ἐν περιπάτῳ, *inambulacro*, ἤτοι κήπῳ, id est, *in horto*, ut exponit *Hesychius Milesius* in principio libri de iis, qui eruditionis famâ claruerunt, & *Suidas* in voce Ἀριστοτ. Talem enim locum studiis aptissimum judicasse Philosophum hunc, argumento etiam hoc est, quod Philippus, parens *Alexandri M.*, *Aristotele* sine dubio auctore, Sympatriotis hujus, *Stagiritis*, studii locum νυμφαῖον, h.e. *lucum Nymphis dedicatum*, assignasse legitur apud *Plutarchum* *in vitâ Alexandri*, his verbis: σχολὴν μὲν ἐν αὐτοῖς καὶ διατριβὴν τὸ περὶ Μίεζαν νυμφαῖον ἀπέδειξιν, ὅπου μέχρι νῦν Ἀριστοτέλους ἕδρας τε λιθίνας, καὶ ὑποσκίους περιπάτους δεικνύουσιν, *Ludum eis* (Stagiritis) *& studij locum Nymphæum propè Miezam* (Vid. *Plin*: IV, X.) *destinavit: ubi & hâc ætate sedes Aristotelis lapideas & ambulationes umbrosas monstrant.* Ex quo & non immeritò *Diogenes*, modò laudatus, in Prooemio *Peripateticos* ait dictos fuisse ἀπὸ συμπτωμάτων. Συμπτώματα enim vocantur ea, quæ *coincidunt* aut rei alicui *accedunt*. Unde & *Celsus* lib: II *accessiones* appellat.

A Jam

Jam autem utrumq; accessorium est Philosophiæ, doceri *ambulando*; & doceri *in horto*. Unde & *Simplicius* Peripateticam Philosophiam dictam ait ἀπὸ συμβεβηκυίας ἐνεργείας, in Præfatione ad Aristotelis Prædicamenta. De *Philosophis* ergo, ex *Aristoteléa* Scholâ prodeũtibus, testatur Cicero, qvod jam olim duo agnoverint librorũ genera, unum *populare & exotericum*; alterum *limatius*, quod in *commentariis* reliquisse eos affirmat, per *commentarios* absq; dubio *acroamatica* intelligens scripta. Alter enim vocis sensus, quo *commentarii* olim dicebantur libri, in quibus res undiq; collectas memoriæ causâ congerebant eruditionis avidi, ut in promptu haberent materiam præparatam, si quid vellent suo arbitratu ipsi conscribere, aut etiã de re aliquâ disserere, quos συγγράμματα ὑπομνηματικὰ *Ammonius* & *Simplicius*, *Plinius* in *Epist. commentarios electorũ*, *Antoninus deniq; III. de seipso & ad seipsum n. XII.* τῶν συγγραμμάτων ἐκλογὰς vocant, huc non quadrat, quoniam ad limam revocata haud erant, quæ in istiusmodi commentarios referebantur.

II. Ejusdem distributionis vestigia reperiuntur etiam apud *Strabonem*, qui sub idem tempus vixit, quo Christus, reparandæ salutis nostræ causâ, in terris degere est dignatus. Is in *Geographiâ* suâ refert, veteres Peripateticos paucos habuisse libros, eosq; ferè solos *exotericos*; atq; inde factum esse, ut vix ulla de re πραγματικῶς & exquisitè potuerint philosophari. Libri enim *Aristotelis* & *Theophrasti*, in quibus Philosophi isti exquisitum philosophandi modum sequebantur, post obitum *Nelei Scepsii*, cui *Theophrastus* bibliothecam, à Magistro primùm adornatam, ab ipso verò auctã reliquerat, ad rudes & sordidos pervenerant homines, qui posteaquam *Attalicorum* regum studium in conquirendis undiq; libris ad instruendam *Pergami* bibliothecam intelle-

rel'exiſſent, eos ſub terrâ in foſsâ quâdam incluſos occultabant, ut idem *Strabo* refert; cui jungat, qui volet, & *Plutarchũ* in *vitâ L. Syllæ*. His igitur libris veteres *Peripatetici*, qui poſt *Theophraſtum* vixerunt, carere, & interea exotericis nonnullis contenti eſſe cogebantur, ex quibus tantum lucri captabant, ut de propoſitis rebus ἐνδόξως diſſerere, ſeu, ut ipſe *Strabo* loquitur, θέσεις ληκυθίζειν, *ad eorum morem, qui theſes dicũt, quales ſunt Dialectici, probabiliter diſputare poſsẽt. Strabonis* verba ſubjũgere placet. Legũtur ea in X.II. *Geographiæ*, & ita ſonant: Συνέβη δὲ τοῖς ἐκ τῶν περιπάτων, τοῖς μὲν πάλαι τοῖς μετὰ Θεόφραστον ὅλως οὐκ ἔχουσι τὰ βιβλία πλὴν ὀλίγων, καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν, *Uſu venit Peripateticis antiquis, qui poſt Theopraſtum vixerunt, cum libris carerent, paucosq́; duntaxat, præcipuè exotericos, haberent: ut nullà de re exquiſitè philoſophari poſſent, ſed de propoſitis ad eorum morem, qui theſes dicunt, tantùm diſputarent.* Ex quibus liquidò apparet, librorum, quos *Ariſtoteles* & *Theophraſtus* reliquerunt, aliquos exquiſitè & limatè fuiſſe conſcriptos, quos acroamaticos aliàs vocat; alios verò, quos exotericos, populariter & κατὰ δόξαν. Hanc enim propoſitam ſibi habebant, qui theſium ventilatione delectabantur.

III. Ex poſterioris ævi ſcriptoribus *Acroamaticorum* librorũ *Ariſtotelis* meminit *Plutarchus*, qui teſte Suidâ in voce Πλέζαρχος, *Trajani Cæſaris* temporibus, & antè, floruit; & quidẽ rurſus in *vitâ Alexaďri*. Locũ integrũ adſcribemus. Sic ergò ille: Ἔοικεν δὲ Ἀλέξανδρος οὐ μόνον τὸν ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν παραλαβεῖν λόγον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀποῤῥήτων καὶ βαρυτέρων διδασκαλιῶν, ἃς οἱ ἄνδρες ἰδίως ἀκροαματικὰς καὶ ἐποπτικὰς προσαγορεύοντες, οὐκ ἐξέφερον εἰς πολλοὺς, μετασχεῖν. ... γὰρ εἰς Ἀσίαν διαβεβηκὼς, καὶ πυθόμενος λόγους τινὰς ἐν βιβλίοις περὶ τούτων

ὑπὸ Ἀριστοτέλους ἐκδεδόσθαι, γράφει πρὸς αὐτὸ, ὑπὲρ φιλοσοφίας παῤῥησιαζόμενος, ἐπιστολὴν, ἧς ἀντίγραφόν ἐστιν. Ἀλέξανδρος Ἀριστοτέλει εὖ πράττειν. οὐκ ὀρθῶς ἐποίησας, ἐκδοὺς ἀκροαματικοὺς τῶν λόγων. τίνι γὰρ δὴ διοίσομεν ἡμεῖς τῶν ἄλλων, εἰ καθ' οὓς ἐπαιδεύθημεν λόγους, οὗτοι πάντων ἔσονται κοινοί; ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν. ἔῤῥωσο. ταύτην μὲν οὖν τὴν φιλοτιμίαν αὐτοῦ παραμυθούμενος Ἀριστοτέλης, ἀπολογεῖται περὶ τῶν λόγων ἐκείνων, ὡς ἐκδεδομένων καὶ μὴ ἐκδεδομένων, *Videtur autem Alexander non Ethica modò & Politica pracepta percepisse, sed & occultas illas & graviores disciplinas, quas Philosophi acroamaticas & epopticas peculiariter nuncupant, neq; in vulgus efferebant, attegisse. Qvum enim jam in Asiam transiisset, atq; ad se esset delatum, libros de his ab Aristotele editos, Philosophiæ nomine expostulans, scripsit ad eum epistolam, cujus hoc est exemplum: Alexander Aristoteli S.D. Quod disciplinas acroamaticas vulgaveris, non rectè abs te factum est. Quâ enim re nos præstabimus aliis, si hæ, in quibus instituti sumus, omnibus promiscuæ erunt disciplinæ? Ego sanè mallem optimarum rerum scientiâ, quam potentiâ, excellere. Vale. Hanc ejus ambitionem ut leniret Aristoteles, excusat se, indicans, disciplinas istas ita editas, ac si non editæ essent.*

IV. Post *Plutarchum* sententiam nobis dicat & *A. Gellius*, qui & ipse claruit sub *Trajano Imperatore*. Is in *XX. Noct. Attic: c. IV.* satis dilucidè: *Libros suos*, inquit, *seorsum divisit* (Aristoteles), *ut alij* ἐξωτερικοὶ *dicerentur, partim Acroatici. Quos cum in vulgus ab eo editos Rex Alexander cognovisset, atq; eâ tempestate armis exercituq; omnem propè Asiam teneret, Regemq; ipsum Darium præliis & victoriis urgeret, in illis tamen tantis negotiis literas ad Aristotelem misit: non eum rectè fecisse, quod disciplinas acroäticas, quibus ab eo ipse eruditus foret, libris foràs editis invulgasset.* Prodeat verò & *Lu-*

cianus

cianus Samosatenus, itidem *Plutarchi σύγχρονος*, qui ad eandē librorum *Aristotelis* distributionem respexisse videtur in *Dialogo*, qui inscribitur βίων πρᾶσις, ubi ita introducit colloquentes *Mercurium* & eum, qui vitam *Aristotelis* licitabatur. Αγορ. Ποῖος δέ τις οὗτος; Ερ. μέτριος, ἐπιεικής, ἁρμόδιος τῷ βίῳ. τὸ δὲ μέγιστον, διπλοῦς. Αγο. πῶς λέγεις; Ερ. ἄλλος μὲν ὁ ἔκτοσθεν φαινόμενος, ἄλλος δὲ ὁ ἔνδοθεν εἶναι δοκεῖ. ὥστε ἢν πρίῃ αὐτὸν, μέμνησο τὸν μὲν ἐσωτερικὸν, τὸν δὲ ἐξωτερικὸν καλεῖν. *Empt: Qualis verò est iste* (Peripateticus, Aristoteles?) *Mercur: Modestus, aquus, vitâ benè compositâ: & quod maximum est, duplex. Empt. Quomodo ais? Merc: Alius scilicet foris apparet, alius autem intus esse videtur. Itaq; si ipsum emes, memento, ut eum partim esotericum, partim exotericum appelles.* Ita enim hæc, τὸν μὲν, καὶ τὸν δὲ, accipienda esse existimamus hoc loco, ut ista, τὰ μὲν & τὰ δὲ, in illo lib: 1. Rhet: c. II: Τὰ μὲν, δι' ἀπαιδευσίαν, τὰ δὲ, δι' ἀλαζονείαν, τὰ δὲ καὶ δι' ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς, Et *Rhetoricæ Professores se pro Politicis venditare conantur, partim per ignorantiam, partim per arrogantiam, partim per alias causas, quibus interdum animi hominum solent moveri.* Et illa ex 1. *Post: I §. 5:* Ἔστι δὲ γνωρίζειν, τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα, τὰ δὲ καὶ ἅμα λαμβάνοντα τὴν γνῶσιν. Quæ verba hunc pariunt sensum: *Fieri potest, ut aliquis cognoscat id, quod partim prius cognovit, partim verò ejus ipso isto tempore accipiat cognitionē.* Etsi nō lateat nos, lōgè aliter verba hæc ab Interpretibus exponi. Confer tamen II. *Prior. cap. XXI.* Deniq;, ut reliquorū dicta non adducamus, præsertim ipsorum *Aristotelis* Interpretum, de quibus cōmodiùs dicemus infrà, ubi de discrimine librorum Acroamaticorū & Exotericorum agetur, audiamus & *Clemētem*, Presbyterū *Alexādrinæ Ecclesiæ*, *Hieronymi* judicio, *omniū doctissimum*, & in optimis quibusq; Philosophis versatissimū, qui *Severi* & *Antonini*, filii ejus, tēporibus vixit: Λέγουσι δὲ, ait,

καὶ οἱ Ἀριστοτέλους, τὰ μὲν ἐσωτερικὰ εἶναι τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν, τὰ δὲ, κοινά τε καὶ ἐξωτερικά, Aristotelei quoq; dicunt, ex suis scriptis alia quidem esse exoterica, interna; *alia verò communia & exoterica,* externa. Hæc ille in V. *Stromatum libro.*

V. Quapropter dubitari nequit, quin antiquissima sit ista librorum *Aristotelis* in exotericos & acroamaticos distributio: & proinde mirum, si nulla ejus in ipsius *Aristotelis* scriptis vestigia extent. Extare igitur perhibent multi, cùm ex veteribus, tùm ex recẽtioribus. Quamvis enim Acroamaticorũ librorũ in superstitibus ejus scriptis nulla fiat mentio; exoterici tamen, si istis credimus, sæpiùs ab ipso laudantur. nempe toties, quoties λόγων ἐξωτερικῶν meminit, itemq; λόγων ἐγκυκλίων. Pro synonymis enim hæc à plerisq; habentur. Meminit autem ἐξωτερικῶν λόγων passim, ut in 1. *Eth. ad Nicom: ult. VI, IV. I. Eud: IIX. II, I. III. Polit: VI. VII, I. XIII. (XI.) Met: I:* ἐγκυκλίων verò in 1. *Nicom: V. & I. de cœlo IX.* Et sanè negari nequit, vocem λόγων apud Græcos aliquando & de scriptis accipi libris. Pleriq; enim historiæ scriptores Græci commentarios rerum gestarum, quos scripserunt, in plures λόγους diviserunt & sic inscripserunt. Ἀληθοῦς ἱστορίας ΛΟΓΟΣ πρῶτος, habet ἐπιγραφὴ quædam apud *Lucianum*. Et *Porphyrius Plotini*, Platonicorum coryphæi, scripta principiò in sex enneadas partitus est, deinde unamquamq; harum in peculiares distribuit λόγους. Ipse enim se hujus distributionis auctorem laudat in *vitâ Plotini*. Verùm quid cogit, ut vocem hanc in istis *Aristoteléis* locis eandem dicamus habere significationem? Quid contra vetat, quò minus λόγους ibi sermones interpretemur? præsertim, cum hæc propria sit vocis significatio, à quâ sine stringente ratione in evolvendo Scripto u o mente non est recedendum. Certè *Græcus Ethicorum Paraphrastes*, quem *Andronicum Philosophum* esse volunt illi, qui primi ediderunt, per ἐξωτερικοὺς λόγους

non

non peculiares libros intelligit, sed dissertationes, quas vivâ voce habuit *Philosophus*, quæ distingverentur ab his, quas literis solitus esset mandare. Ita enim ille verba *Philosophi ex I. Moral: XIII*, quibus innuit, multa de animâ dici etiam ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, quibus in Ethicis utendũ sit, exponit: περὶ ψυχῆς τοίνυν οὐ μόνον ἐν συγγράμμασιν, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ στόματος πρὸς τοὺς ἐντυγχάνοντας ἀρκούντως εἴπομεν ἔνια, καὶ χρηστέον αὐτοῖς, *De animâ porrò non in scriptis tantùm, sed & vivâ voce auditoribus nostris nonnulla satis luculenter tradidimus, quibus, qui volent, hoc loco utantur.* An per omnia explicatio hæc menti *Aristotelis* congruat, nunc non inquirimus; in eo tamen nobis *Paraphrastes* ille non videtur esse deserendus, quod per λόγους isto loco non libros, sed sermones, quos vivâ voce habuit *Philosophus*, existimet esse intelligendos. Si enim libros intellexisset ille, non in *præsenti* dixisset, λέγεται δὲ περὶ αὐτῆς καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, sed in *præterito*, ἐλέχθη. Hoc namq; tempore uti solet, cum librum aliquem scriptum citat, expresso unà nomine, quo veniat liber iste, ut patet ex *VI. Ethic. III. II. Polit: II. II. Prior: XV, 14. XVII 2. Soph: II, 3. IIX. Top: XIII, I.* & infinitis propemodũ aliis locis. At ἐξωτερικῶν λόγων cum meminit, ut plurimum utitur præsenti. Sic in *Eudemiis*: Καθάπερ διαιρέμεθα. Et in *III. de Rep*: Ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις διοριζόμεθα.

VI. Ut plenius confirmemur in sententiâ, circumspiciendum nobis est, num inter sermones, quorum cùm apud *Aristotelem*, tùm apud alios priscos scriptores fit mentio, deprehendere liceat genus aliquod, cui d'exoterici titulum ferre queat. Ad quod omnino necessarium est, ut cognoscamus, quænam sit propria vocis, ἐξωτερικὸν, significatio, aut etiam aliûs cognatæ. *Aristoteles* igitur illâ aliquot locis utitur, quæ ante omnia paucis nobis sunt lustranda. Principiò quidem

lib.V.

lib.V.*deGen: An:VI. lingvam* vocat *unam τῶν ἐξωτερικῶν μορίων, exotericarum partium*, μὴ ὅτι ἐν τῷ σώματι σκεπάζεται, ἀλλ' οἷον χεῖρα ἢ πόδα, *quia non in corpore occulitur* (ſic enim velut eſoterica eſſet ;) *ſed, ut manus aut pes, EXTRA corpus tendit*, quemadmodum & *Philoponus* exponit in Comment: ſcribens: Οὐ γὰρ ἐστὶν ἡ γλῶττα, εἰ καὶ σκεπάζεται τῷ στόματι, τι τῶν ἐντὸς, οἷα εἰσὶ ὁ πνεύμων, τὸ ἧπαρ, τ' ἄλλα· ἀλλὰ δεῖ ὑπολαμβάνειν αὐτὴν, ὥσπερ τι μόριον τῶν ἐξωτερικῶν, οἷα εἰσὶ χεῖρες, πόδες, ὦμοι, τὰ ὅμοια· τὸ γὰρ σκεπάζεσθαι αὐτὴν ὑπὸ τοῦ στόματος, οὐδὲν κωλύει αὐτην μόριόν τι εἶναι τῶν ἐκτός· Καὶ γὰρ πᾶν τὸ σκεπόμενον τῶν ἐντός ἐστιν, ἀλλ' ἔστι τινὰ σκεπόμενα τῶν ἐκτὸς, *Etiamſi lingvâ ore tegatur, non tamen ad partes referenda eſt internas, ut ſunt pulmo, hepar & alia id genus: ſed inter partes potius numerãda externas, ut ſunt manus, pedes, humeri, & ſimilia talia. Cui nihil obeſt, quod ore tegatur. Nec enim omne illud, quod tegitur, internum quid eſt, ſed & ſunt extus aliqua, quæ teguntur.* Porrò in X. *Met: IV.* ait *Philoſophus*, quod τῶν γένει διαφερόντων οὐκ ἐξωτέρω λαβεῖν, *eorum, quæ genere differunt, nil extra genus ſumere* liceat, cujus ſcilicet ratione differre d ci queant, ὅτι πρὸς τὰ ἔξω τοῦ γένους οὐκ διαφορά, *eò quod eorum, quæ extra genus ſunt, non ſit differentia*, videlicet, quatenus ſunt extra genus. Etſi enim ἕτερα, diverſa, ſint, διάφορα tamen, quà talia, non ſunt, quoniam differe s ab aliquo τινὶ διάφερον, *ALIQVO differens*, eſt, quod aut genus eſt, aut ſpec es, ut ſuſius oſtendit *Philoſophus* eodem *X.Met: III.* Sed accedamus ab libros *Politic s*, in quibus frequent us vocabulum, ἐξωτερικὸν, ille uſurpat. *Primus locus* occurrit in *I. iſtorum librorum c.V.* ubi, poſtquam dixiſſet, etiam in vitæ expertibus, ſeu inanimatis, eſſe imperium aliquod, οἷον ἁρμονίας (hæc enim cum ſit omnium part um conſenſus & proportio, conſiſtens in reſponſu materiæ formæq;, imperat

quaſi,

quaſi, ut videre eſt in tabulis pictis, ædificiis & ſimilibus) addit, *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως ἐξωτερικωτέρας ἐστὶ σκέψεως, ſed hæc forſan aliena ſunt ab iſtâ conſideratione*, ut *Aretinus* reddidit; vel, ut *Lambinus: Sed hæc fortasſe minus ſunt hujus quæſtionis propria, atq́; aliquantò alieniora, & extra rem.* *Victorius* ita vertit: *Sed hæc fortaſſe ſunt animadverſionis alienioris.* Inanimis enim metaphoricè ſolùm tribuitur imperium: metaphoræ autem ad *σκέψιν Philoſophicam* non quadrant, adeoq́; nec ad *Politicam* ſcientiam, ſed *Poëtis & Oratoribus* relinqvuntur. Deinde in VII. *Polit: I. bonorum* meminit *exotericorum.* Probare ibi intendit, vitam beatam non conſiſtere in posſesſione talium bonorum, & inter cætera id probat & hoc argumento. Deus ſanè, inquit, omnium judicio beatiſſimus eſt, & tamẽ talis non eſt *δι᾽ οὐδὲν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν, ob ullum externorum bonorum*, ſed in ſe & ſuâ naturâ. Hominis autem beatitudo nihil aliud eſt, quàm *ὁμοίωσις Θεῷ, Deo asſimilari*, quod & *Platonem* ſenſiſſe teſtatur *Clemens Alexandr: II. ςρωματέων*, nec non *Auguſt: VIII.* de Civ. Dei *IX.* Itaq́; hominis etiam beatitudo non ab externis, ſed ab internis potius pendebit bonis. Ubi per externa ſeu exoterica bona alia non intelligit, quàm ea, quæ ſunt extra hominem bona, ut ſunt honor, divitiæ, & id genus alia, quæ & alibi bona *ἐκτὸς* vocat, ut in *I. Ethic: IIX. I. M. M: III.* ad differentiã eorum, quæ ſunt in homine, bonorum, ut ſunt corporis & animi bona. Quo ſenſu & *Archytas Pythagoréus lib: de bono viro & beato:* Τὰ ἐκτὸς (ἀγαθὰ), inquit, *Φίλοι, δόξα, τιμὰ, πλοῦτος, Bona externa ſunt amici, gloria, honor, divitiæ.* Deniq; *eodem Politico c. III.* diſputans adverſus illos, qui vitam Philoſophorum vel prorſus ocioſam, vel minùs beatam eſſe dicebant, eò, quòd nullas extra ſe actiones diffunderet, ducit eos tandem ad abſurdum, & ait: Hinc certè ſequeretur, &

Deum esse otiosum, minusq; beatum, quippe cui non sunt ἐξωτερικαὶ πράξεις παρὰ τὰς οἰκείας τὰς αὐτοῦ. Nihil enim, vult dicere, extra se agit, sed in suâ ipsius contemplatione, quod fusius ostendere nititur in XIV. Metaph: acquiescit. Intelligit autem hîc per ἐξωτερικὰς πράξεις sine dubio eas operationes, quæ in aliud se diffundunt extra agens. Quo sensu eâdem voce adhuc semel eodem capite utitur, dicens: Μάλιστα δὲ καὶ πράττειν λέγομεν, καὶ κυρίους τῶν ἐξωτερικῶν πράξεων, *Maximè autem eos agere & dominos esse externarum actionum dicimus, qui consilio agentibus præsunt*, & monent, quid, quando, & quomodo, sit faciendum.

VII. Hæc fermè loca sunt, in quibus præter citata n:V, voce, ἐξωτερικὸν, vel aliâ cognatâ, *Aristoteles* est usus. In quibus omnibus, quantũ ex dictis liquet, ea, quæ isto nomine veniunt, intrinsecis & propriis sunt contraposita: sicut & aliàs τὸ ἔσω, unde ἐσωτερικὸν, & ἔξω, unde ἐξωτερικὸν, sibi mutuò opponuntur, ut in *I.Post: X, 7.* λόγος ἔσω, qui intus in mente residet, & ἔξω, qui ab illo διὰ τοῦ στόματος ἵεται μετὰ φθόγγου, *cum voce per os defluit & extrinsecus prodit*, ut *Plato* loquitur in *Sophistâ*. Certè & *lingva*, ut instrumentum inprimis spectata, extra corpus tendit, hocq; ipso opponitur cordi, aliisq; visceribus, quæ intra corpus occlusa manent: & *extra genus* non esse differentiam, oppositum est ei, quod dicitur esse *intra genus* & *in genere*: & *Deus* non *externis*, sed internis & propriis seu domesticis, ut ita loquamur, bonis felix est, neq; extra se, ut talis, sed in se ipso operatur: deniq; & *Architectus* consilio præest actionibus, quæ *extra ipsum* aliorsùm collimant atq; contradistincta sunt energiis manentibus in ipso. *Exotericum* itaq; *Philosopho* idem erit, quod μὴ οἰκεῖον, *non domesticum, non intrinsecum, sed extrinsecum*, ἔξω τοῦ πράγματος, *quod extra rem est*. Quæ signifi-

catio

catio vocis, ἐξωτερικὸν, aut similis, etiam apud alios obtinet scriptores. Sic tunicæ corpori propiores, quas Latini interulas & indusia, quasi *intusia* vocant, Græcis ἐσωτερικοὶ χιτῶνες dicuntur, quibus contradistingvunt χιτῶνες ἐξωτερικὸς, eoq; nomine indigitant omnia vestimenta, quæ superinjiciuntur, ut pallia, & togas, lacernasq;. Iisdem, qui *extra societatem* aliquam degunt, aut aliud vitæ genus seqvuntur, ἐξώτεροι dicuntur, siquidem cum illis, qui in eadem societate vivunt, aut idem vitæ genus eligunt, comparentur. Quomodo Philosophis vulgus, &, cum inter ipsos Philosophos variæ sint sectæ, *Academici Peripateticis*, & utrisq; *Stoici* ἐξώτεροι *erunt*. *Gentiles* eodem sensu, cum fidelibus (quos τὰς ἡμετέρας nominat, Eusebius autem οἰκείους vocat lib. 1 de Præpar. Evangel: ut *intraneos* Gaudentius serm: II Tom: II Bibl: Patrum,) collati *Gregorio Nazianzeno* οἱ ἔξωθεν dicuntur, *lib: II.* κτ' ἰουλιανοῦ. Quæ appellatio apud *Basilium* quoq; extat hom: 3 in Hexaemer. Et *Chrysost*: *lib: VI de Sacerd*: *t: VIII.* de eloquentiæ studio dicit, quod in pretio sit οὐ παρὰ τοῖς ἔξωθεν μόνον, ἀλλὰ δὲ καὶ παρὰ τοῖς τῆς πίστεως οἰκείοις, *non minus apud domesticos fidei, quàm apud extraneos*. Idem *lib: II. de Sacerd:* τὰς ἔξωθεν δικαστὰς vocat *judices gentilium*. *Justinus* quoq; *Martyr in Parænesi* ad *Græcos* τὰς ἔξωθεν simpliciter, & in *Qq: ac respons: ad Orthodoxos respons: ad quæst: II.* τὰς ἔξωθεν τῆς εὐσεβείας *infideles* vocat, hoc est, *extraneos*, sicut & *Tertullianus* in *Apologetico* cap: VII eosdem appellat. Qui equidem omnes sine dubio respexerunt ad istum *Pauli* locum *I. Cor. V: v. 13*, quo profanos & Ethnicos similiter τὰς ἔξω vocat, *alienos* quippe *à fide & Ecclesiæ societate*. Non solùm autem ipsas personas, aliud vitæ & doctrinæ institutum sequentes, ita nuncupare solent Græci scriptores, sed & omne id,

quod ad illas pertinet, aut ab illis proficiscitur, ἐξωτερικὸν, vel, quod cum illo idem est, ἐξωτικὸν iidem dicunt. Sic *Hesiodus* ἐξωτικὰς δίκας vocat, id est, ξενικάς. Et antiqui Ecclesiæ Doctores studia externa, quæ *Theodoro Antiocheno* τὰ θύραθεν μαθήματα audiunt apud *Photium Cod: IV*, & literas, nihil ad scripta Evangelica pertinentes, τὰ ἔξωθεν appellant. Ut *Clemens Alexandrinus*, qui lib: 1 *Stromat:* τὰ συνέχοντα τὴν πίστιν, καὶ τὰ ἔξωθεν, *ea quæ fidem continent*, & quæ *extra* eam, à Philosophis gentilibus, proponebantur, distinguit. Item τὴν ἔξωθεν παιδείαν vel παίδευσιν, ut videre est apud *Basilium Magnum* in *Psalm:* CXV & *Chrysost: hom: I. ad popul: Antioch:* Tandem & τοὺς ἔξωθεν λόγους. Studia namq; & literæ aliquando etiam λόγων appellatione insigniuntur, ut cum *Gregorius de Cæsarea* ait: Τῇ πόλει ταύτῃ οἱ λόγοι τὸ γνώρισμα, *Hæc urbs visitur ob studia literarum*. Sed & *Synesius* in *Dione* eodem intellectu: Τοιοῦτον οὖν, inquit, τὸ ἐν λόγοις κάλλος, *Tale quippiam est elegantia disciplinarum*. Imò & *Ignatius*, sanctus Martyr, in Epistolâ ad *Trallianos* Christianam religionem λόγον vocat καὶ διδασκαλίαν. Hoc sensu iterum *Chrysostomus*: Πᾶσαν τὴν ἡλικίαν ἐν τῇ τῶν ἔξωθεν λόγων ματαιοπονίᾳ καταναλώσας, de seipso loquens. Deniq; & hoc Exotericum antiqvitus dictum fuisse deprehendimus, quod ab iis, qui certum doctrinæ genus sequebantur, ad extraneos istos directum, aut in usum eorum erat destinatum. Huc accommodari possunt, quæ apud *Jamblichium* leguntur in *Protrept: C: XXI*, ubi viam sibi parans ad expositionem symbolorum, quibus accuratiorem *Philosophiam* occultabant *Pythagoréi*, inter cætera ait: Ἵν' οὖν χρήματ' ἐκφανῆ, καὶ τὸ εἰς περιττὸν τὴν αὐτῶν ὄφελος καταδηλον γένηται κατὰ τὸ ἐξωτερικόν τε ἅμα, καὶ κατὰ τὸ ἀκροατικὸν ἀποδώσομεν ἑκάστου συμβόλου τὰς ἐπιλύσεις, μήδε τὰ παρ' αὐτοῖς ἀπόρρητα καὶ ἐχεμυθούμενα πρὸς

τοὺς

τὰς ἀνεισάκτους παραλειπόντες ἀνεξέταστα, *Ut igitur illorum* (Symbolorum) *usus appareat, & utilitas manifesta fiat ad hortationem, dabimus cujusq; symboli explicationem, non secundum ea solùm, quæ & extraneis audire permissum est; sed & juxta accuratiora & secretiora dogmata, qualia genuinis tantùm auditoribus concredi solent, solicitè caventes, ne quæ recondita apud ipsos ac silentio pressa sunt, alienis & subreptitiis enuntiemus.*

IIX. Hinc ariolari licet, quinam apud Philosophos sint futuri sermones exoterici, vel, ut *Themistius* ad verbum reddidit, οἱ ἔξωθεν λόγοι. Nempe, ii, qui vel ab extraneis & à secretiore Philosophiâ alienis; vel cum his ab ipsis Philosophis instituuntur. Quod his aliquando usu venire solet ἐν ταῖς ἐντεύξεσι, hoc est, *Suidâ* interprete ex *Alexandro* in I. Top: II, ἐν ταῖς πρὸς τοὺς πολλοὺς συνουσίαις, *in colloquiis cum vulgo & imperitis.* His enim perpetuò sese subducere nequit Philosophus, cum sit φιλάνθρωπος καὶ κοινωνικὸς, *amans conversationis*, neq; *fugitans commercia hominum*, ut *iterum Alexander*, qui & præterea in eo requirit τὸ ταπεινὸν φρόνημα, h. e. ut *humilis* minimeq; elati sit animi, atq; *modestè* de se sentiat, deniq; *omnibus per colloquia sua studeat prodesse.* Sermonibus istis autem opponentur λόγοι ἐσωτερικοὶ, & hi dicentur sermones, quos *Philosophi* non ad extraneos & vulgares homines, sed ad οἰκείους, *genuinos, domesticos* & velut *proprios* dirigunt auditores interioris *Philosophiæ.* Et sanè utriusq; generis hominibus jàm inde ab initio consulere voluerunt veteres sapientes, & quidem istis non tantùm ἐν ἐντεύξεσι, quales in conviviis, aliisq; publicis conventibus, fieri solent; sed & in auditoriis suis, in quæ certo tempore & vulgares homines intromittebant. Hæc enim, ut ex historiis accepimus, priscorum sapientum laudabilis erat

 con-

consvetudo. Abdita quidem & μυστηριώδη, sive *secretiora*, solis domesticis ἐν ἀπορρήτοις, seu *secretioribus locis*, tradere solebant, ne incapaces & profanum vulgus Philosophica dogmata risum jocumq; facerent, nec universæ naturæ traducerent secreta. Atq; hoc fermè præstabant horis matutinis. Pomeridianis autem in auditorio aperto quosvis è plebe sine discrimine admittebant, atq; de illis rebus, quas vulgus Philosophorum sentiret, non quas ipsi reperissent veras, sermones faciebant, verbis & rationibus ad auditorum captum accommodatis.

IX. Iidem jam *PYTHAGORÆ* auditorum duo fuisse genera legimus, duplicemq; docendi modum captui eorum convenientem. Ita enim *Porphyrius* de iis, in vitâ *Pythagoræ* differens: ὅσα γε μὴν τοῖς προσιοῦσι διελέγετο, ἢ διεξοδικῶς, ἢ συμβολικῶς παρῄνει. διττὸν γὰρ ἦν αὐτοῦ τῆς διδασκαλίας τὸ σχῆμα. καὶ τῶν προσιόντων οἱ μὲν ἐκαλοῦντο μαθηματικοί. οἱ δ' ἀκουσματικοί. καὶ μαθηματικοὶ μὲν, οἱ τὸν περιττότερον καὶ πρὸς ἀκρίβειαν διαπεπονημένον τῆς ἐπιστήμης λόγον ἐκμεμαθηκότες. ἀκουσματικοὶ δ' οἱ μόνας τὰς κεφαλαιώδεις ὑποθήκας τῶν γραμμάτων ἄνευ ἀκριβεστέρας διηγήσεως ἀκηκοότες, *Quæcunq; apud auditores disserebat, aut perspicuâ & copiosâ oratione, aut obscurè & per ænigmatum involucra præcipiebat. Duplex enim illi docendi modus erat: atq; ex discipulis alij Mathematici, alij verò auscultatores vocabantur. Mathematici quidem, quotquot pleniorem atq; elaboratam scientiæ rationem percipiebant. Auscultatores verò, qui summa tantùm capita præceptaq; literarum sine accuratiori enarratione audiebant.* Quâ de causâ & adolescentes, qui se ad discendum offerebant, à principio ἐφυσιογνώμει, id est, *vultum & speciem totius eorum corporis attentè considerabat, ut ex eo conjiceret, essent ne idonei, ut ad accuratiorem*

rem Philosophiam reciperentur. Quos enim *videbat ineptos ad id studium esse, eos non patiebatur operam apud se perdere*, teste *A. Gellio in I. Noct: Attic: IX.* Idem de duplici *Pythagoræ* auditorum genere refert *Jamblichius* de vitâ *Pythagoræ* cap: XIIX, nec non *Clemens Alexandrinus* lib: V *Stromatum*, cujus verba hæc sunt: ἡ Πυθαγόρȣ συνȣσία, καὶ ἡ πρὸς τȣ̀ς ὁμιλητὰς διττὴ κοινωνία, ἀκȣσματικȣ̀ς τȣ̀ς πολλȣ̀ς, καὶ τινὰς Μαθηματικȣ̀ς ἑτέρȣς καλȣ̃σα, τȣ̀ς γνησίȣς ἀντεπτομένȣς τῆς Φιλοσοφίας, ἀλλὰ τὸ μὲν, φᾶσθαι, τὸ δὲ κεκρυμμένον ἔιναι πρὸς τȣ̀ς πολλȣ̀ς ἠνίσσετο, *Pythagoræ consuetudo, quæ cum familiaribus erat, duplex conjunctio, vocans quosdam auscultatores, quosdam verò Mathematicos, qui sincerè ac germanè attingebant Philosophiam, significabat, aliud quidem dictum fuisse, aliud verò fuisse à multis occultatum.* Idem & alii tradunt. A quibus tamen quadantenus abit Auctor *vitæ Pythagoræ* apud *Photium codice* CCIX. *Bibliothecæ.* Is enim trium discipulorum *Pythagoræ* generum facit mentionem. Τῶν πυθαγόρȣ, ait, οἱ μὲν ἦσαν περὶ τὴν θεωρίαν καταγινόμενοι. οἵπερ ἐκαλȣ̃ντο σεβαστικοί. οἱ δὲ περὶ τὰ ἀνθρώπινα, οἵπερ ἐκαλȣ̃ντο πολιτικοί· οἱ δὲ περὶ τὰ μαθήματα, γεωμετρικὰ, καὶ ἀστρονομικὰ, οἵπερ ἐκαλȣ̃ντο μαθηματικοί, *Pythagoræ discipuli, qui contemplationi dediti erant, Sebastici vocati sunt: qui circa humana versabantur,* Politici: *qui Mathesin, Geometriam & Astronomiam, excolebant, Mathematici.* Nisi forsan hæc divisio quædam est alterius *Pythagoræ* auditorum generis, qui μαθηματικοὶ dicebantur, quasi dicas *disciplinarios* h. e. ad disciplinas seu scientias aptos. Non enim inusitatum est Philosophis, *genus* & *speciem*, præcipuè, si hæc proprium nomen non habeat, eâdem insignire appellatione, quod exemplis confirmabitur infra. Et sanè eum, quem paulò antè indicavimus, sensum vox μαθημαν-

ματικῶν obtinet apud *Porphyrium*; nec non apud *Clementem*, qui τοὺς Μαθηματικοὺς interpretatur τοὺς γνησίους ἀντιποιουμένους τῆς φιλοσοφίας. Apud *Photium* autem strictius forte capitur pro iis, qui rebus *Geometricis* & *Arithmeticis* sedulò operam navant. Quo sensu eâ & *Suidas* usus est, & ipse de *Pythagoræ* discipulis differens: Τῶν δὲ πυθαγορείων, οἱ μὲν περὶ θεωρίαν καταγινόμενοι, ἐκαλοῦντο σεβαστικοί. οἱ δὲ περὶ τὰ μαθήματα (ita per excellentiam dicuntur scientiæ Mathematicæ. Vid. inter alios & *Philo* de *mundo*) γεωμετρικοὶ καὶ μαθηματικοί. Deniq; ad prædicta duo auditorum *Pythagoræ* genera videtur respexisse & *Proclus lib: I. in Timæum:* Πῶς δὲ οὐ πυθαγόρειον τὸ διάφορα μέτρα τῶν ἀκροάσεων ἀφορίζειν, καὶ γὰρ τῶν εἰς τὸ ὁμακόϊον φοιτώντων, οἱ μὲν βαθυτέρων, οἱ δὲ ἐπιπολαιοτέρων ἥπτοντο δογμάτων, *Nonne & hoc Pythagoricum est, diversos auscultationum gradus & distinctos fuisse? Nam qui cōmune auditorium frequentabant, alii profundiora, alij leviora dogmata percipiebant.* Conf. §. XI & XV in fine.

X. A *Pythagorâ* ad *PROTAGORAM* veniamus. De eo his, quæ de *Pythagora* dicta sunt, non dissimilia leguntur apud *Platonem* in *Theæteto:* Ἆρ' οὖν πρὸς χαρίτων πάνσοφός τις ἦν ὁ Πρωταγόρας. καὶ τοῦτο ἡμῖν μὲν ἠνίξατο τῷ πολλῷ συρφετῷ, τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐν ἀπορρήτῳ τὴν ἀλήθειαν ἔλεγε, *Annon per gratias undiquaq; sapiens erat Protagoras? & hoc nobis homunculis de plebe ænigmaticè significavit: discipulis verò genuinis veritatem exposuit in arcano. De ZENONE* quoq; refert *Proclus Lycius Platonicus lib: V. Comm: in Parmenidem Platonis*, quod λόγων suorum τοὺς μὲν ἀληθεῖς, τοὺς δὲ χρειώδεις, *alios quidem veros, alios autem usuales vocârit*. Ex quibus horum audiendorum copiam & vulgo sine dubio fecit, ad istorum autem ἀκρόασιν, quippe secretiorem, solùm genuinos scientiarum auditores admisit. Sed nec PLATO hunc morem

rem neglexit. Sic enim de eo *Galenus* in *l. de substant. facult: natur: in princip:* Πλάτων γοῦν αὐτὸς ἔμψυχα μὲν ἀεὶ λέγει τὰ ζῶα. τοὺς λίθους δὲ, καὶ τὰς πόας, καὶ τὰ ξύλα, καὶ καθόλου φάναι τὰ φυτὰ πάντα τῶν ἀψύχων σωμάτων εἶναι φησίν. ἀλλ᾽ ὅταν τὴν φυσικὴν θεωρίαν ὀλιγίστοις ἀκροαταῖς κατακολουθεῖν ἐπιστημονικοῖς λόγοις δυναμένοις, ἀποχωρήσας τῶν τοῖς πολλοῖς δοκούντων, εἰς ὅλον τὸν κόσμον ἐκτετᾶσθαι λέγει τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, διαφωνίαν οὐ χρὴ τοῦτο νομίζειν εἶναι τ᾽ ἀνδρὸς ἑαυτῷ τἀναντία λέγοντος. ὥσπερ οὐδ᾽ Ἀριστοτέλους ἢ Θεοφράστου τὰ μὲν τοῖς πολλοῖς γεγραφότων, τὰς δὲ ἀκροάσεις, τοῖς ἑταίροις, *Plato quidem ipsa animata semper dicit animalia. Lapides verò, herbas, & ligna, & omninò plantas omnes de inanimatorum corporum numero esse dicit. Sed quando naturalem speculationẽ paucissimis auditoribus, scientificos sermones assequi valentibus, separans ab his, quæ vulgo traduntur, in universum mundum ait esse extensam ipsius animam, non est putandum, hanc esse dissidentiam, quâ vir iste contraria sibi pronunciet. Quemadmodum neq; Aristotelis, aut Theophrasti, qui alia quidem vulgo scripserunt, alia verò discipulis familiaribus tradiderunt.* Idem *Plato*, quæ de primo Deo sentiret, quem ὑπερουράνιον Platonici dicere consveverunt, efferre in vulgus nefas putabat: unde & cum paucis hæc communicabat. Atq; hinc ipse in *Timæo:* Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα, εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν, *Opificem & Patrem mundi invenire difficile, &, cum jam inveneris, prædicare in vulgus, nefas.* Et in *Theæteto* introducit *Socratem* cum *Theæteto* de abditâ τῆς διανοίας veritate disserentem, & inter alia hæc dicentem: Ἄθρει δὴ περισκοπῶν, μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ, *contemplare jam & simul dillgenter cave, ne quis profanus hæc audiat.* Deniq; & in *Phædone* hæc ejus leguntur: Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ, *Impuro quidem purum attingere nefas est.* Ab eodem ingenio

 paratus

paratus erat & *STILPON, Megarensis Philosophus*, qui ingenii acumine & docendi dexteritate cæteres adeò superabat, ut propemodùm tota *Græcia* in ipsum intuens *Megaricam* sectam amplecteretur. Huic cum aliquando obviam veniret *Crates*, & ex eo quæreret, numquid Dii precibus ac divinis honoribus gauderent, respondebat ille: Περὶ τούτων μὴ ἐρώτα, ἀνόητε, ἐν ὁδῷ, ἀλλὰ μόνον, *noli me, fatue*, dicebat, *de his in viâ quærere: sed solum ac seorsum*, ut refert *Diogenes Laërtius lib: II.* in *vitâ ejus*. Qui & simile quid de BIONE narrat, cum mox subjungit: Τὸ δ' αὐτὸ καὶ Βίωνα ἐρωτηθέντα εἰ θεοί εἰσιν, εἰπεῖν, *Hoc ipsum & Bionem interrogatum, an sint Dij, dixisse tradunt:* οὐκ ἀπ' ἐμοῦ σκεδάσεις ὄχλον ταλαπείριε πρέσβυ; *Quin senex, inquit, turbam à nobis propellere curas?* Sed & *HIPPOCRATES, Medicorum* princeps, ἐν νόμῳ: Τὰ δὲ, inquit, ἱερὰ ἐόντα πρήγματα, ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται. βεβήλοισι δὲ, οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης, *Hæc cum sacra sint, sacris hominibus demonstrantur, profanis verò ea patefacere nefas est, donec scientiæ sacris fuerint initiati.* Nec aliter sensit CHRYSIPPUS, cui Diogenes Laertius in vitâ ipsius hoc scribit fuisse familiare: Ὁ λέγων, τοῖς ἀμυήτοις τὰ μυστήρια ἀσεβεῖ, *Qui mysteria profanis proponit, impius est.* Ad extremum huc pertinent & ista EPICTETI ex Enchiridio cap: LXIIX & LXIX: *Nusquam te Philosophum profitearis, neq; de præceptis,* περὶ τῶν θεωρημάτων, *multum disputa apud imperitos. — Itaq; si apud imperitos de præcepto aliquo,* περὶ θεωρήματός τινος *sermo inciderit, maximâ ex parte taceto. Magni enim periculi est, statim evomere, quod non concoxeris. Quod si quis dixerit, te nihil scire, tuq; commotus non fueris, tum scito, rem esse inchoatam. Nam & oves non fœnum opilionibus ferunt, neq; demonstrant, quantum comederint: sed pastu intra se concocto extra ferunt lanam & lac. Et tu igitur ne præcepta,* τὰ θεωρήματα,

ματα, ostendas imperitis, sed opera, quæ præceptorum concoctionem sequuntur. In Paraphrasi Græcâ, à *Merico Causabono* editâ, ad hæc verba ista leguntur: *Inter idiotas de dogmatibus*, περὶ δογμάτων, *ut plurimum sileto. Quod si occasio incidat, tu tamen ostentandi te occasionem vita, & tace.* Μέγας γὰρ ὁ κίνδυνος δογματίσαι ἢ ὄντος κατάληψις δυσχερὴς τοῖς πολλοῖς, καὶ ἄγνωστος, *Magnum enim periculum est, ejusmodi res vulgo docendo tradere, quarum comprehensio insolens illi atq; difficilis existit.*

IX. Patet itaq; omnium penè veterum sapientum cujuscunq; sectæ hanc fuisse consvetudinem, ut de nonnullis quidem rebus etiam ad vulgus sermonem facerent, verbis & rationibus ad opinionem confictis: vera autem & secretiora dogmata solis familiaribus & ad altiora natis ἐν ἀπορρήτοις, seu secretioribus locis, traderent, neq; apud imperitos expromerent; aut si aliquando, his præsentibus, etiam de talibus loqui cogerentur, obscurorum ægnimatum ea involverent tegumentis. Nempe, quod de *Pythagoræis* dicit *Jamblich*: in *vitâ Pythag. c. XXXII*, id de omnibus ferè priscis *Philosophis* dici potest: Οὐδὲν ἐξεφοίτησε τῶν τι λόγου ἀξίων μέχρι πολλοῦ διδασκόμενά τε καὶ μανθανόμενα, ἐντὸς δὲ τοίχων μόνον ἐγνωρίζετο. ἐπὶ δὲ τῶν θυραίων, καὶ, ὡς εἰπεῖν, βεβήλων, εἰ καί ποτε τύχοι, διὰ συμβόλων ἀλλήλοις οἱ ἄνδρες ἠνίττοντο, ὧν ἴχνος ἔτι νῦν, ὧν περιφέρονται τὰ θρυλλούμενα, οἷον, πῦρ μαχαίρῃ μὴ σκάλευε, καὶ τὰ τοιαῦτα σύμβολα. ἅπερ ψιλῇ μὲν τῇ θέσει γραώδεσιν ὑποθήκαις ἔοικε. διαπτυσσόμενα δὲ θαυμαστήν τινα καὶ σεμνὴν ὠφέλειαν παρέχεται τοῖς μεταλαβοῦσι, *Nihil eorum, quæ alicujus momenti essent, patiebantur prodire in vulgus. Sed quæ longo temporis spatio tùm docebantur, tùm discendo percipiebantur, intra privatos tantùm parietes cognoscebantur. Cum externis vero, &, ut sic dicam, prophanis* (quos ἐξωτερικοὺς paulò ante vocaverat *Jamblichius*) *si quan-*

 doq;

doq; usus ferret congrediendum esse, nequaquam mysteria sua enunciabant, sed per symbola & arcanas tesseras obscurè latenterq; sibi mutuò sensa mentis, velut ænigmatibus, significabant. Quorum nunc vestigium est, quod unum ex iis est, quæ vulgo jactata circumferuntur: Ignem gladio ne fodito, & id genus alia symbola, quæ juxta simplicem nudamq; expositionem anilibus commentis & fabulis similia esse videntur. At explicata admirabilem quandam & incredibilem utilitatem fructumq; percipientibus præbent. Et huic quidem consvetudini adeò tenaciter inhærebant, ut iis, qui secretiora dogmata propalarent, scholâ suâ interdicerent. Sicut *Hipparchum* à *Pythagorâ*, eò quod arcana ejus revelasset, è schola ejectum, inq; ejus locum immobilem columnam erectam fuisse tradit *Clemens V. Strom:* Nec minus eum hâc ipsâ de causâ reprehendit *Lysis* Pythagoræus in *Epistolâ* ad *Hipparchum* apud *Jamblichium* lib: *de vitâ Pythagoræ* cap: XVII.

XII. Neq; verò fuit invidia hæc, sed sapientia potius summa. Sicut enim invidia non est, si quis naturâ cœcis non accendat lumen, vel surdis voces Musicas seu harmonias quærat: Ita nec invidia est iis, qui doceri non possunt, non offerre doctrinam. Esse autem tales aliquos, *Aristoteles* in *Rhetoricis* ostendit. *Sunt nonnulli*, ait, *quibus, etiamsi alicujus rei scientiam exquisitissimam animo comprehensam teneamus, persvadere tamen facile non est, si ductis ex eâ argumentis utamur. Nam oratio, quæ ex ipsâ rei scientiâ ducitur, docendi ratio quædam est. Ipsi autem doceri non queunt: imò necesse est è cõmunibus rationes & argumenta ducamus, quando cum talibus nobis res est.* Hæc ille *I. Rhet. I. Conf. I. Topic II.* Ut non quivis ager aptus est ad semen excipiendum & fovendum, sed quidam planè non excipit, quidam, si excipit, suffocat illud atq; extingvit: Sic nec cujusvis animus, qui velut ager est, ad scientiam

tiarum arcana, quæ velut semina sunt, excipienda idoneus est, sed quidã non rectè, quidam prorsus nihil de illis percipiunt. Quorum utriq; sapientiæ molestiam creant. Fiunt enim arcana ejus vel despicatui non intellecta, (θρασεῖα γὰρ οὖσα ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ, τὰ μὲν ἐν ποσὶν, ἥκιστον τιμᾷ, τὸ δὲ ἀπόντος θαυμαστικῶς ἔχει, ait *Max: Tyrius diss: XXIX, Ea enim humanæ mentis imprudentia est, ut quæ exposita sunt, minoris faciat; quæ abstrusa, vehementer admiretur*. Conf. idẽ *dissert: XVI.*) vel periculum, etiam vitæ, accersunt ejus amicis non rectè percepta, id quod Socrati, vel Apollinis oraculo, sapientissimo, legimus accidisse. Accusatus namq; impietatis à *Mileto Phiteensi*, auditore suo, quòd negaret multitudinem Deorum *Atheniensium*, aliaq; nova dæmonia induceret, capitis damnabatur. Alii apti quidem sunt ad Philosophiam, per ætatem tamen mysteria Philosophica nondum capere possunt: quibus ideò à principio leviora præcepta proponenda, ut paulatim animus ipsorum præparetur ad capiendum secretiores sermones: non aliter, quàm fortè solet tinctor pannum præparantibus primùm coloribus imbuere, deinde demum eo, quó vult, tingere. Τὰ μυστηριώδη autem solis genuinis scientiarum auditoribus sunt relinquenda, quippe qui ad capiendas eas idonei sunt soli. Quod & *Dionysius Halicarnassensis*, vir summus, observavit, qui *adolescentibus* commendat τόπους λεκτικοὺς, *adultioribus* demum πραγματικοὺς., ut qui indaginis sint altioris.

XIII. Non itaq; invidiam, ut dicebamus, sapit mos iste occultandarum disciplinarum. Quem etiam Deo conjunctissimos novimus esse sequutos. Certè *sapientissimus Judæorum Rex* sermones suos, quos de occultis rerum naturis habuit, maluit inter paucos perire, quàm in vulgus dispalescere, *ne ipsis coriariis*, ut *Plato* ait, *Philosophia fieret communis.*

nis. Τὸ γὰρ δαμοσίᾳ φιλοσοφέν μεγάλας ἐς ἀνθρώπως ἤξε τῶν θείων καταφρονήσιος, ait *Lysis Pythagoreus* apud *Synesium Epist: CXLII*, quæ est ad *Herculianum*, *Etenim in vulgus philosophari magnum in hominum genus contemptum divinarum rerum invexit.* Et ipse Deus jussit *Esdram* scribam ex iis, quæ ex ore ejus acceperat, præfectis quædam palàm facere, quædam sapientibus tradere absconse, IV, XIV. *Paulus* quoq; *Apostolus* 1. Cor. II, 7 scribit, se *sapientiam* loqui apud perfectos tantùm, sapientiam sc. illam abditam, quam destinasse Deum ait *ante secula ad gloriam nostram.* Imò Christus ipse de mysteriis regni sui planè non nisi ad discipulos loquebatur, ad reliquos autem per parabolas, *ne scilicet res divinæ scelestis hominibus in derisionem paterent*, ut *Cyrillus Alexandr:* notat *libr: III.* in *Joann: c. XXXVI.* Conf. Expositores ad *Matth: VII, v. 10. seqq.* Magistrum seqvuti veteris Ecclesiæ sanctissimi Doctores, non solùm omniũ disciplinarum studiis ornati, sed & singulari Spiritus S. sciẽtiâ instructi. Neq; enim facilè rem sacram & arcanam τοῖς ἔξωθεν cõmittebant: quin potius sedulò & fideles reliquos hortabantur, ne temerè extraneis & profanis hominibꝰ, imò ne catechumenis quidem, qui ad fidem primùm accesserant, fidei suæ mysteria omnia revelarẽt, tum propter eorũ dignitatem ac venerationem majorem, tum ne ab imperitis & minus eorum capacibus hominibus irriderentur. *Atq; hinc Tertull: lib: 1 ad Nationes cap. VII.* *Oro vos* (gentiles alloqvitur) *extraneis unde notitia? cum etiam justa & licita mysteria omnem arbitrij extraneum caveant?* Ubi ridet vanitatem Gentilium, qui nugabantur, domesticos suos Christianorũ arcana curiosius intuẽtes, *per rimulas & cavernas*, fuisse suffuratos, cum tamẽ extranei ab his nõ solùm arcerẽtur, sed & procul abigerẽtur. Et in *Apologet. c. VII.* inquit: *Si semper latemus, quomodo proditũ*

est,

eſt, quod admittimus? Imo à quibus procul potuit? Ab ipſis enim reis non utiq́, cum, vel ex formâ, omnibus myſteriis ſilentij fides debeatur. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech: VII: Ταῦτα τὰ μυστήρια νῦν ἡ ἐκκλησία διηγεῖται τῷ ἐκ κατηχουμένων μεταβαλλομένῳ. οὐκ ἔστιν ἔθος ἐθνικοῖς διηγεῖσθαι. οὐ γὰρ ἐθνικῷ τὰ περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος διηγούμεθα μυστήρια. οὐδὲ τῶν μυστηρίων ἐπὶ κατηχουμένων λευκῶς λαλοῦμεν, ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα οἱ εἰδότες πιστοὶ, νοήσωσι. καὶ οἱ μὴ εἰδότες, μὴ βλαβῶσι, *Hæc myſteria nunc patefacit Eccleſia ei, qui ex catechumenis excedit: nec moris eſt, Gentilibus exponere. Non enim gentili cuiquam de Patre & Filio & Spiritu S. arcana myſteria declaramus: neq́, palàm apud catechumenos de myſteriis verba facimus, ſed multa ſæpè loquimur occultè, ut, qui rem tenent, fideles, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.* Inde illæ apud *Chryſoſtomum* in ſermonibus ad *populum* tritæ locutiones, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *Homil: LXXII.* in *Matth:* οἱ πιστοὶ, in *Pſalm:* οἱ συμμύσται, *Hom: XV. in Johan.* οἱ μυσταγωγούμενοι, *Homil: LXXV,* οἱ μύσται, apud *Iſidor: Peluſ:* lib: IV. Epiſt. CLXII. & apud *Auguſtinum, fideles ſciunt, fideles norunt, ſolis fidelibus cognitum,* & ſimiles plures.

XIII. Obſervatione quoq; digna ſunt, quæ apud modò laudatum *Cyrillum* hâc ipsâ de re leguntur in *præfat: Catech:* Ὅτι κατήχησις λέγηται, ἐάν σε κατηχούμενος ἐξετάσῃ τί εἰρήκασιν οἱ διδάσκοντες, μηδὲν λέγε τῷ ἔξω. μυστήριον γάρ σοι παραδίδομεν καὶ ἐλπίδα μέλλοντος αἰῶνος. τήρησον τὸ μυστήριον τῷ μισθαποδότῃ. μήποτέ σοί τις εἴπῃ, τί βλάπτει, ἐὰν κἀγὼ μάθω. καὶ οἱ νοσοῦντες τὸν οἶνον ζητοῦσιν. ἀλλ' ἐὰν ἀκαίρως δοθῇ φρενῖτιν ἐργάζεται, καὶ δύο κακὰ γίνεται, καὶ ὁ νοσῶν ἀπόλλυται, καὶ ὁ ἰατρὸς διαβάλλεται. οὕτως ὁ κατηχούμενος, ἐὰν ἀκούσῃ παρὰ πιστοῦ, καὶ ὁ κατηχούμενος φρενιτιᾷ. οὐκ οἶδε γὰρ τί ἤκουσε, καὶ ἐλέγχει τὸ πρᾶγμα, καὶ ἐκμυκτηρίζει τὸ λεγόμενον, καὶ ὁ πιστὸς ὡς προδότης κατακρίνεται. ἤδη δὲ σὺ μεθορίῳ στήκεις, βλέπε

μοι

μοι μὴ ἐκλαλήσῃς, οὐχ ὅτι οὐκ ἄξια λαλιᾶς τὰ λεγόμενα, ἀλλ᾽ ὅτι ἡ ἀκοὴ ἀναξία τοῦ δέξασθαι, *Cum Catechesis recitatur, si catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant Doctores? nihil dicas extraneo: mysteria enim tibi, & spem futuri seculi tradidimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec unquam dicentem aliquẽ audi: Quid obest, si & ego didicero? Etenim ægroti vinum quandoq; postulant, quod si intempestivè illis detur, phrenesin conciliat: & duo hinc nascuntur mala. Nam & æger interit, & Medicus malè audit. Sic & catechumenus si audiat mysteria à fideli, phrenesin patitur. Nescit enim, quid audiverit, & tamen arguit rem ignotam, dictaq; irridet. Fidelis verò, tanquam proditor, condemnatur. Tu itaq; jam in finibus nostris constitutus cave, ne quid effutias: non quòd digna non sint narratione ea, quæ ibi dicuntur, sed quòd indignus est ille audire, cui referres.* Similia leguntur passim apud alios veteres Scriptores, veluti *Cyprianum lib: III. Testim: adversus Judæos. n. L. Basil. lib. de Spiritu S. c. XXVII, Gregorium Nazianzenum Orat: II. in Pascha. Theodoret: lib: I. de curand: Græc: affect: Dionys: Areop: lib. de Mystica Theolog: c. I: §. 2. de Eccl. Hierarch: c. I. & II, de Divinis nom: c. I. item Epist: IX. Hieron: hom: II. in Cant: Cant: Tom: IIX. Chrysost: hom: XL. in epist: I. ad Corinth: Prosper: in Psal: CXXXVI. Ambros:* deniq; *lib: I. de Abrah: c. V. lib. I. de Abel & Cain c. IX in Psalm: XLV. & serm. II. in Psalm. CXIIX. August: lib: de vera relig. c. XXIIX. Tom. I. & Hilarium, Diaconum Romanum* (hic enim Auctor esse putatur *Cõmentarij* in *epistolas Pauli* apud *Ambros.*) cujus postremi Scriptoris verba *è comm. in c. II. epist: I. ad Thessal:* hæc sunt: *Quædam sunt mysteria religionis nostræ, quæ propter carnales sensus, ne scandalum patiantur, facilè publicari non debent: quia non omnibus dicenda sunt omnia, sed pro uniuscujusq; captu moderanda sunt dicta; aliter rudibus, aliter fundatis.* Deniq; & ista *Victoris Antiocheni* ex

Comm:

Comm: in caput V. Marci digna sunt, quæ hic legantur: *Excellentis Doctoris munus est, pro auditorum qualitate disserere, caveréq;, ne margaritas inconsultò ante porcos abjiciat; aut ne propter accuratiorem mysteriorum explicationem res illustres in contemptum adducat.* Hinc ARIANI, quod in hoc non satis circumspecti essent, malè audiunt apud *S. Athanasium: Nec pudet eos*, inquit, ille, *coram Catehumenis &, quod pejus est, coram Ethnicis ita de mysteriis tragicari. Cum oporteat, sicut scriptum est, mysterium Regis celare, &, ut Dominus præcipit, non projicere sancta canibus, neq; margaritas ante porcos.* οὐ χρὴ γὰρ τὰ μυστήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ Ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες γελῶσι, κατεχούμενοι δὲ περίεργοι γενόμενοι, σκανδαλίζωνται, *Non enim fas est mysteria non initiatis prodere, ne per imperitiam ea subsannent Gentiles, aut Catechumeni per curiositatem scandalizentur, Apolog. II. contra Arianos ad Constant: Imperatorem. Epiphanius* quoq; *Tom: I. hæresi XLII.* hoc nomine Marcionitas reprehendit, quod auderent mysteria, etiam præsentibus Catechumenis, celebrare: hinc enim fieri, ut apud illos omnia plena sint irrisionis.

XIV. Deniq; dubium non est, quin multò plura & longè exquisitiùs inter se in Scholis disputarint Sancti *Ecclesiæ Doctores*, quàm pro concione ad populum effati fuerunt. In his enim, quos ad populum instituebant, sermonibus, eò omnia dirigebant, ut vulgus in simplici fide, quæ omnibus ad salutem necessaria est, confirmaretur, & ad sanctimoniam vitæ incitaretur, sine quâ nemini videre contingit Dominum, ut est in *Epist:* ad *Hebr: XII, 14.* At in iis, quos in *Scholis* conferebant, λόγοις, cuncta referebant ad γνῶσιν, quæ accuratiorem in omnibus tractationem postulat: & quid consequens, aut repugnans sit fidei, & unicuiq; doctrinæ Christianæ, attendit. Multum namq; interest inter *fidem* &

γνῶσιν. *Fides* scilicet, ut *Clemens* ait *lib: VII. Stromatum*, est σύντομος τῶν κατεπειγόντων γνῶσις, *brevis & compendiosa eorum quæ, necessaria sunt, cognitio.* At γνῶσις est ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος, διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας ἐποικοδομουμένη τῇ πίστει, εἰς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ μετ' ἐπιστήμης καὶ καταληπτὸν παραπέμπουσα, *firma ac stabilis demonstratio eorum, quæ assumpta sunt per fidem, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur, quæ transmittit ad id, quod non potest excidere & mutari, & potest comprehendi scientiâ.* Quibus consona habent & alii, à nobis in peculiari libro de discrimine inter fidem & cognitionem laudati. Alio itaq; loquendi genere uti cogebantur veteris Ecclesiæ Doctores, quando disserebant accommodatè ad fidem, ad captum scilicet rudis populi: alio autem, nempe longè accuratiori, quando disserebant in Scholis, accommodatè quippe ad γνῶσιν & informationem illorum, qui munus docendi aliquando suscipere & alios similiter in fide erudire debebant. *Quid non profundiùs*, ait *Augustinus*, *illâ sententia Johannis: In principio erat Verbum? aut istâ alterâ, Verbum caro factum est? Quibus in sententiis multi hallucinari possunt & perniciosè errare: non tamen desistimus illa & doctis & indoctis proponere, DIVERSA tamen adhibitâ LOQUENDI RATIONE. Synesius Cyrenes* noluit *Episcopus* fieri, nisi certis conditionibus, in quibus & hæ duæ: *Mundum & hujus partes interituras esse non confitebor sermonibus ad populum. Prædicatam resurrectionem arbitror rem esse arcanam, & multum abest, ut cum multitudinis opinione de hâc consentiam.* Quæ argumento sunt, ipsum aliter de resurrectione, ac communis & vulgata Christianorum habebat, fides, existimasse. *Nimirum*, ut in istum locum annotant nonnulli, *Platonici genus quoddam resurrectionis mortuorum admittebant. Quippe Plato in Phæ-*

done

done immortales esse hominum animas ex eo disputat, quod necesse sit contrariorum esse vicissitudinem, atq; à vitâ ad mortem, & à morte vicissim ad vitam fieri transitum, quod ille vocat ἀναβιώσκεσθαι, *reviviscere.* Quod illi sic interpretantur, *quasi animas ex aliis in illa corpora transfundi voluerit, quod Platonis inter decreta & Diogenes Laërtius recenset. Sic enim reviviscere dicebant, qui erant mortui.* Conf. *Minutius Felix in Octavio*, & *Justinus* in *Cohortat: ad Græcos.* Ita ergo *Synesius*, si conjecturæ hîc locus est, resurrectionem intellexit, cum se aliter, ac vulgus, de eâ sentire dicit. Verùm hanc rem velut ἱερόν τι καὶ ἀπόρρητον, *rem sacram & arcanam*, ut arbitrabatur, vulgo committendam non esse, ait. *Lux enim*, addit, *veritati; oculus vulgo proportione quâdam respondent. Et ut oculus ipse non sine damno suo immodicâ luce perfruitur; atq; ut ophthalmicis caligo magis expedit: Sic* τὸ ψεῦδος *vulgo prodesse arbitror, è contrario nocere veritatem iis, qui in rerum perspicuitatem intendere animum non possint.* Tandem concludit: Εἰ ταῦτα καὶ οἱ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱερωσύνης συγχωρῦσιν ἐμοὶ νόμοι, δυναίμην ἂν ἱερᾶσθαι, τὰ μὲν οἴκοι φιλοσοφῶν, τὰ δὲ ἔξω φιλομυθῶν· εἰ μὴ διδάσκων, ἀλλ' ὐδὲ μέντοι μεταδιδάσκων, μένειν δὲ ἐῶν ἐπὶ τῆς προλήψεως, *Hæc si mihi Episcopatus nostri jura permittant, possum hanc dignitatem admittere: ita ut domi quidem Philosopher, foris verò fabulas feram, ut nihil penitus docens, sic nihil etiam dedocens, atq; in præsumptâ opinione animi permanere sinens. Sin ita etiam moveri dixerint oportere, & Episcopum opinionibus esse popularem; ego me illicò manifestum omnibus præbebo.* δήμῳ γὰρ δὴ καὶ φιλοσοφίᾳ τί πρὸς ἄλληλα; τὴν μέν ἀλήθειαν τῶν θείων ἀπόρρητον εἶναι δεῖ· τὸ δὲ πλῆθος ἑτέρας ἕξεως δεῖται, *Vulgo enim cum Philosophiâ quid esse commune potest? Divinarum quidem rerum veritatē occultam esse cōvenit: vulgus aliâ modo affectus*

esse debet. Hæc *Synesius epist: CV*, quæ est ad *Fratrem.* Etsi autem in eo lapsus est ille, quòd communem & omnibus ad salutem necessariam Christianorum fidem de resurrectione in dubium ad tempus traxit (quem errorem postea ipsemet, quamprimum ad *Episcopatus* dignitatem evectus erat, agnovit, teste *Photio* in *Biblioth: Cod: XXVI. & Evagrio libr: 1. c. XV.*) in eo tamen ipsi cum aliis Ecclesiæ Dd. convenit, quòd non omnia vulgo esse committenda existimavit, nempe μυστηριώδη illa, quorum intelligentia superat vulgi captum, quæq; non ad πίστιν pertinent, sed γνῶσιν. Ad quam sine dubio retulit & mysticam illam, quam ipse errore ductus statuebat, resurrectionem. Quam refellere alius est tractationis. Morem interim istum veterum Ecclesiæ Dd. occultandi quædam, confirmat & discrimen istud, quod post Irenæum lib: I. cap: III. etiam *Basilius Magnus* constituit inter dogma & κήρυγμα lib. de Spiritu sancto cap: XXVII. ad hunc scribens modum: Ἄλλο δόγμα, καὶ ἄλλο κήρυγμα, *aliud est dogma, aliud prædicatio.* Τὰ μὲν γὰρ δόγματα σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται, *nam dogmata quidem silentur, neq;*, ut paulò ante dixerat, εἰς τὴν δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἐκφέρεται, *ad vulgares ac populares aures efferuntur, prædicationes verò publicantur.* Videatur & *Socrates lib. I. c. IV.* Nos interea missis Theologis ad Philosophos redeamus.

XV. Sapientiæ igitur, ut diximus, veterum Philosophorum adscribendum est, quòd inter λόγους discrimen fecerint, alioq; sermonis genere ad vulgus, aliô autem ad οἰκείους ἀκροατὰς usi fuerint, neq; omnia istius, quæ horum, auribus concesserint. Ut autem duplex hoc sermonis genus eò meliùs distingverent, utrumq; porrò & peculiaribus nominibus insigniverunt. Et posterioris quidem generis λόγους (ut de his prius dicamus,) vocarunt initiò ἐσωτερικοὺς καὶ ἀκροαματικοὺς

τικοὺς

τικοὺς,vel etiam *ἀκροατικοὺς*,quod ad audiendos eos folùm domeſtici & interioris doctrinæ auditores admitterētur, quos ipſi nominabant ἀκροατὰς ἐσωτερικοὺς,ut videre eſt apud *Jamblichium* in *vitâ Pythag:c.XVII.*vel etiam ἀκροατὰς abſolutè. UndeSuidas,Ἀκροατὴς,ὁ μαθητής.Deinde verò ἐποπτικοὺς,auctore *Plutarcho* in *Alexandro*,à ſacris deductâ metaphorâ. Ἐποπτεύειν enim verbum eſt,quod in ſacrarum rerum inſpectione uſurpabatur.Καὶ ἐποπτεῦσαι δὲ,ἐν μυστηρίοις,ait *Julius Pollux lib:II. Onomaſt: c.XXIIX,Iſtud,* ἐποπτεῦσαι,*de myſteriis dicitur.* Ἐποπτικὰ autem dicebantur ultimæ initiorum ceremoniæ. Neq; enim ſimul ac initiari erant,ad ſacra ſpectanda admittebantur,ſed præparabantur prius ſolennibus purgationibus ad myſteria,quæ non licet ἐποπτεύειν,ſive inſpicere niſi longi temporis patientiâ paratis.Unde *Seneca* lib:VII. *Quæſtionum Naturalium* cap. XXXI: *Non ſemel quædam ſacra traduntur. Eleuſis ſervat , quod tradat reviſentibus.* Et *Macrobius* lib:I.*in Somn:Scipionis* cap:II: *Et ipſa myſteria*,ait, *figurarum cuniculis operiuntur , ne vel his ademptis nudam rerum talium ſe natura præbeat,ſed ſummatibus tantùm viris ſapientiâ interprete veri arcani conſciis:contenti ſint reliqui,ad venerationem figuræ defendentibus à vilitate ſecretum.*Inprimis verò digna ſunt,quæ hîc legantur iſta *Plutarchi* de *Demetrio*: Τότε δ' οὖν ἀναζευγνύων εἰς Ἀθήνας,ἔγραψεν,ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. τοῦτο δὲ οὐ θεμιτὸν ἦν οὐδὲ γεγονὸς πρότερον. ἀλλὰ τὰ μικρὰ , τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο· τὰ δὲ μεγάλα, τοῦ Βοηδρομιῶνος. ἐπώπτευον δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλιπόντες, *Cum Athenas redire ſtatuiſſet, ſcripſit eò, ſe cupere ſtatim ſacris initiari , & à myſteriis usq; ad maxima , quæ epoptica dicuntur , totius ſacrificii ritus cognoſcere. Id neq; fas erat, & nunquam antè factum. Parva enim myſteria menſe*

Anthesterione peragebantur, magna Boëdromione, ab his ad epoptica illa inspicienda ad minimum annus requirebatur. Conf. idem in *lib: de oracul: defectu*, & in IIX. Sympos: quæst: II, quo posteriore loco τελετῆς τέλος ἐποπτείαν vocat. Sed & *Harpocration* hinc in voce Ἐποπτευκότες: Οἱ μυηθέντες ἐν Ἐλευσῖνι ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει ἐποπτεύειν λέγονται, *Sacris Eleusiniis initiati in secundâ demum initiatione* ἐποπτεύειν *dicebantur.* Erant enim hæc præcipuè in magnâ apud Græcos existimatione. Unde cum ea celebrabantur, illud præcinebatur: Ἕκας ἕκας ὅστις ἄλιτρος, *procul procul quisq; profanus.* Erant autem duplicis generis, ceu colligere est ex verbis *Plutarchi* paulò antè laudatis, nempe *parva*, quibus purgati primùm instituebantur, & *magna*, ad quæ istis præparabantur. *Ultima* autem ceremoniæ, ad quas per multos demum ambages admittebantur, ἐποπτικὰ appellabãtur. Cujus rei mentionem facit & Clemens Alexandrinus, & quidem his verbis: Οὐκ ἀπεικότως ἄρα, καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν, ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις λουτρόν. Μετὰ ταῦτα δέ ἐστι τὰ μικρὰ μυστήρια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα, καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων· Τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων οὐ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ καὶ περινοεῖν τὴν φύσιν, καὶ τὰ πράγματα, *Non abs re in mysteriis quoq;, quæ fiunt apud Græcos, primum locum tenent expiationes & lustrationes, sicut & apud Barbaros lavacrum. Posthæc autem sunt parva mysteria, quæ habent aliquod fundamentum doctrinæ & præparationis futurorum. In magnis autem de universis non restat amplius discere, sed contemplari & mente comprehendere, & naturam, & res ipsas.* Atq; hinc & porrò fiebat, ut initiati mysteriis utriusq; istius generis non eodem nomine venirent. Qui enim ad *parva* erant admissi, μύσται: qui autem ad *magna* recepti, Epoptæ nominabantur.

Ex quo & *Suidas*: Διαφέρει μύστης καὶ ἐπόπτης. Et *Aristophanes* ad Ranas: Οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες μύσται καλοῦνται. οἱ δὲ παραλαμβάνοντες αὐτὰ τῷ αὖθις ἐνιαυτῷ ἐφορῶσι τὰ μυστήρια, καὶ ἐποπτεύσιν. Respicit quoq; huc Socrates, quando, apud Platonem in Gorgiâ, ita Calliclem alloquitur: *Siccine beatus es, ut magna consecutus mysteria prius, quàm parva? Ego verò id fas esse non judicabam.* Hinc autem porrò in Philosophiam vox hæc est translata. Ubi ἐποπτικὰ μαθήματα dicuntur occultæ istæ & graviores disciplinæ, complectentes secretiora & μυστικώτερα, quàm sunt illa, quæ existimantur vulgo, præsertim, quæ ad Divin: Numinis notitiam pertinēt. Unde Interpres *Dionysii Theologi, Maximus*, in iis, quæ de divisione Philosophiæ scripsit, τὸ ἐποπτικὸν καὶ θεολογικὸν τῆς φιλοσοφίας μέρος conjungit, dicens: Τὸ ἐποπτικὸν καὶ θεολογικὸν, τὸ ἐν νοητοῖς καὶ ἀϊδίοις. *Schol. in Epist. Dionysii Tom: II. Operum hujus.* Quod jam antè eum fecerat *Clemens I. Stromatum.* Dividit enim Mosaicam Philosophiam in quatuor partes, εἰς τὸ ἱστορικὸν μέρος, καὶ κυρίως λεγόμενον νομοθετικὸν, εἰς τὸ ἱερουργικὸν, ὅ ἐστιν ἤδη τῆς φυσικῆς θεωρίας, καὶ θεολογικόν. Et de quartâ hâc parte ait: Τέταρτον ἐπὶ πᾶσι, τὸ θεολογικὸν εἶδος, ἡ ἐποπτεία. ἥν φησὶν ὁ Πλάτων τῶν μεγάλων ὄντως εἶναι μυστηρίων. Ἀριστοτέλης δὲ τὸ εἶδος τοῦτο, μετὰ τὰ φυσικὰ καλεῖ, *Quarta species est Theologica, quæ quidem est superna contemplatio*, ut reddidit Interpres, *quam Plato ait reverà magnorum esse mysteriorum. Aristoteles autem hanc speciem Metaphysica, id est, post naturalia vocat.* Λόγοι autem ἐποπτικοὶ dicuntur sermones ἀκριβέστεροι, quibus occultæ istæ & graviores disciplinæ, τὰ μυστηριώδη (unde & μυστικοὶ hi ipsi sermones dicuntur Proclo) comprehendentes, traduntur, quos audire, atq; adcò secreta naturæ spectare non permittebant veteres sapientes, nisi eos, quos ad idipsum idoneos esse ante satis perspexerant

&

& quidem, quod Pythagoræ in more fuiſſe poſitum teſtatur *Jamblichius* c: l. μετὰ τὰς ἐκ τῶν τοσῶνδε μαθημάτων ὀργιασμὰς καὶ μυήσεις ψυχῆς τε ἀποῤῥύψεις καὶ καθαρμὰς, *poſt tot diſciplinarum ceremonias & initiationes atq́; tales & tantas animi ablutiones expurgationesq́;*. His igitur nominibus poſterioris generis ſermones appellabant. At primi generis λόγους, ut reliquas appellationes, de quibus poſtea dicendi occaſio dabitur, nunc omittamus, appellabant ἐξωτερικὰς, eò quod eorum audiendorum copiam etiam τοῖς ἔξω, extraneis, ſine diſcrimine facerent. Ita ſanè eos vocat ex *Pythagor: eorum* placitis *Proclus Lycius*, *Platonicus Philoſophus*, cujus paulò antè mentionem fecimus, *lib: V. Cōment:* in *Parmenidem Platonis:* Οἱ Πυθαγόρειοι, ait, τῶν λόγων, τὰς μὲν ἔφασκν εἶναι μυστικὰς, τὰς δ' ἐξωτερικὰς, *Pythagorei ſermonū dixerunt alios eſſe myſticos, alios autem exotericos*. *Origenes* quoq; λόγους, qui traduntur τοῖς ἔξω, in quibus nondum patet *theſaurus interior*, ut cum *Arnobio* loquamur ex lib. I. adverſ. gentes, ἐξωτερικὰς appellat ex mente Philoſophorum, lib. I. *contra Celſum:* Παρ' οἷς (φιλοσόφοις) μὲν ἦσαν ἐξωτερικοὶ λόγοι, ἕτεροι δὲ ἐσωτερικοί. καί τινες μὲν ἀκούοντες Πυθαγόρα ὡς, αὐτὸς ἔφα. ἄλλοι δὲ ἐν ἀπορρήτῳ διδασκόμενοι τὰ μὲν ἄξια φθάνειν εἰς ἀκοὰς βεβήλους, καὶ μηδέπω κεκαθαρμένας, hoc eſt, interprete Sigiſmundo Gelenio: *Etiam Philoſophi doctrinam habebant* aliam *exteriorem*, aliam *penitiorem* ſeu intimiorem. *Et alii Pythagoram audiebant, contenti ipſius auctoritate: alij diſcretè diſcebant rationes non evulgandas in profanos, nondumq́; purgatos.*

XVI. Sed quid de *Ariſtotele* tandem dicemus? Nunquid & ipſe veſtigiis majorum inſiſtens duplici iſto τῶν λόγων genere uſus eſt, altero πρὸς τὰς οἰκείας ἀκροατὰς, altero πρὸς τὰς ἔξω ſeu extraneos? Si *A. Gellium* hîc audiamus, hâc de re ne dubitandum quidem erit. Si enim vera ſunt, quæ de

de ipſo refert lib: *XX. Noct. Att:* cap. *IV*, diſcrimen iſtud inter utrumq; ſermonis genus adeò ſtrictè obſervavit, ut vix ullus ante ipſum. Sic autem ille: *Commentationum ſuarum artiumq́, quas diſcipulis tradebat Ariſtoteles Philoſophus, Regis Alexandri magiſter, duas ſpecies habuiſſe dicitur. Alia erant, quæ nominabāt ἐξωτερικά: alia, quæ appellabat ἀκροαματικά. Ἐξωτερικὰ dicebantur, quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumq́ rerum notitiam conducebant. Ἀκροαματικὰ autē vocabantur, quibus Philoſophia remotior ſubtiliorq́ agitabatur, quæq́ ad naturæ contemplationes diſceptationesq́ Dialecticas pertinebant. Huic diſciplinæ, quam dixi ἀκροαματικὴν, tempus exercendæ dabat in Lyceo (*ita enim appellabant ſcholam *Ariſtotelis*, ut *Pythagoræ* διδακαλεῖον & ὁμωκόιον, *Platonis Academiam, Epicuri hortos, Zenonis porticum) matutinum. Nec ad eum quemquam temerè admittebat, niſi quorum ante ingenium & eruditionis elementa atq́ in diſcendo ſtudium laboremq́ exploraſſet. Illas verò ἐξωτερικὰς eodem in loco veſperi faciebat, easq́ vulgò juvenibus ſine delectu dabat, atq́ eum δειλινὸν περίπατον appellabat: illum alterum ſuprà ἑωθινόν.* Ecce, ſi *A. Gellio* credimus, non alto quodam ſupercilio *Stagirites* noſter deſpexit vulgares conatus, ut inſolentes ſolent. Nec tamen docuit illos ſublimia & τὰ μυστηριώδη, quæ ſtupori potius eſſe poſſent, quàm uſui, quod ambitioſis atq; jactatoribus in more poſitum eſt, ſed prudentiæ priſcorum ſapientum planè adverſum. Vitæ potius & civitatis eos docuit officia, quæ ſcire intereat omnium ingeniorum: quibus affines admodum artes cùm *Rhetorum*, tùm *Dialecticorum* addidit, ne popularē & ſciendi & perſvadēdi rationem penitus ignorarent. Quilibet autem, qui hactenus dicta probè perſpexit, intelligit, non potuiſſe Philoſophum in horum informatione eaſdem docendi obſervaſſe leges,

 quas

quas servare solitus fuit, cum dilucidarios illos docebat. Frustra enim vulgarium aures pulsasset, quod hi non sint capaces tàm subtilis docendi formæ, qualem genuini scientiarum Auditores postulant, etiam in scientificâ rerum civilium tractatione, licet pro subjectæ rei naturâ. Nam & ipsa auditores *οἰκείους* requirit, à quibus juvenes separat *Philosophus libr: I. Ethic: c:I.* Nempe ut *aliter leones, aliter catuli olent*, sicut est in *proverbio:* sic aliter genuini scientiarum auditores discunt, aliter *οἱ ἔξωθεν*, seu profani. Hi namq; probabili argumentatione capiuntur, *ἀκριβεστέραν* collectionem refugientes: illi contra nihil se profitentur scire, nisi quod *ἀποδείξει* firmatum sit, quæ ex immotis, æternis & proximis rei principiis constet, & apta sit hominem reddere *ἀμετάπτωτον*, vel, ut *Plato* loquitur, *πλεονέκτην* in cognoscendo. Hi testimonium pro argumento: illi plerumq; ornatus tantùm loco habent. Illi non nisi vero delectantur: hi & falsis applaudunt, modò sint verisimilia, aut speciem habeant veritatis. His picturata tantùm placet oratio: illis, quæ quæ tenuis & est simplex. Hi laciniosum quid & diductum quærunt: illis concisum quid & contractum est satis. Deniq; his obscurum est, quod perspicuum est illis: ac illis leve, quod his grande & venerandum. Atq; hoc ipsum est, quod innuebat noster Num: III, qvum de *Acroamatum* promulgatione conquerenti *Alexandro*, edita illa & non edita, respondebat, quippe quod, ut *Gellius c: l.* addit, *cognobilia tantùm futura essent suis auditoribus*, iis puta, quorum ingenia matutino tẽpore in Lyceo formabat. Itaq;, si *Gellio* credimus, dubium non est, quin discrimen inter duplex *τῶν λόγων* genus *Aristoteles* quoq; accuratè observârit, alioq; ad auditores *ἐσωτερικοὺς*, alio ad *ἐξωτερικοὺς* fuerit usus. Imò aliter facere non potuit, si quidem non discipulis tantùm suis, sed

&

& rudi plebeculæ doctrinâ ſuâ prodeſſe habuit conſtituum. Habuiſſe autem vel ex iis, quæ *I. Topic:c:II. §.IV. & I. Rhet:c:I.* de *Dialecticæ & Rhetoricæ* utilitate, quã afferant πρὸς τὰς ἐντεύξεις, diſſerit, innoteſcit. Cũ quibus cõferat, cui placet, quæ in priorem locum cõmentatur etiã *Alexander Aphrodiſienſis.*

XVII. Duo ex iis, quæ hactenus prolixè diſputata ſunt, niſi fallimur, conſtant. Nempe, non veteres ſolùm ante *Ariſtotelẽ*, ſed & hunc ipſum *Philoſophum*, in παιδεύσει τῶν ἔξωθεν, peculiari, & ab eo, quod ad genuinos ac domeſticos auditores dirigebatur, diſtincto ſermonis genere uſum: & cùm hoc ſapiẽtibus tritum, ſermonis genus, tùm iſtud, quô ἐξώτεροι illi ad ſe invicem utebantur, ἐξωτερικὸν dictum fuiſſe. Hoc enim ex *num. XVI*, iſtud ex *num: VIII.* & ſeqq. liquet. An autẽ in in *ll. num. V.* adductis per ἐξωτερικοὺς λόγους iſtiusmodi ſermones intelligi poſſint, id nondum apparet. Auſim tamen affirmare, nullum ex omnibus iſtis eſſe, qui non ferre queat expoſitionẽ talem. Experiamur id in ſingulis, & quod diximus, ut ſperamus, fiet manifeſtum. *Primus* igitur ex *cc: ll:* extat in *I. Ethic: ad Nic: c: ult.* Requirit ibi *Philoſophus* in *Politico*, ut aliquâ ſaltem animæ notitiâ ſit inſtructus. Ut enim Medicus, qui oculos totumq; corpus curat, corporis naturam noſſe debet: Sic & Politicus, ut pote qui, ſicut præclarè in *Politico* ſuo oſtendit *Plato*, animæ Medicus eſt, hujus cognitionem quandam habere tenetur. Qualem verò? Utiq; non exactam illam & exquiſitam, quæ ad *Phyſicum* forum pertiret, ſed popularem ſolùm, quam quis haurire poſſit ex ἐξωτερικοῖς λόγοις. *In his namq;*, ait *Philoſophus*, ἀρκούντως ἔνια περὶ αὐτῆς λέγεται, *nonnulla ſatis copioſè de eâ dicuntur*, ut de diviſione animæ in λογικὴν & ἄλογον, & id genus aliis, quibus Politicum convenit uti. Quod hîc per λόγους ἐξωτερικοὺς non poſſint intelligi peculiares libri ab *Ariſtotele* conſcripti, &

ab *Acroamaticis* distincti, patet jam ex *num:V.* Hos enim si intellexisset, non, λέγεται, dixisset, sed, suo more, ἐλέχθη. Si autem tales, quales paulò antè diximus, sermones intelligantur, sensus verborum *Aristotelis* planissimus erit. Multa namq; de animâ & ejus partibus vulgus in quotidiano sermone frequentat, quæ in usum sibi vendicare Politicus queat. Multa etiam sine dubio in sermonibus, quos ad ἐξωτέρες seu extraneos habuit, de eâ disseruit ipse *Philosophus*, quippe in eo occupatus, ut mentem animumq;, etiam exterorũ, exornaret. *Secundus* locus reperitur VI Eth: IV. ubi discrimẽ constituit *Philosophus* inter ποίησιν & πρᾶξιν, idq; manifestum esse ait vel ex ἐξωτερικοῖς λόγοις, h.e. uti nos quidem interpretandum locum esse censemus, *etiam ex pervagato sermone*, quo ἐξώτεροι, extra ἀκροάσεις secretiores constituti, utuntur. Neq; enim agere mensam aut domum dicunt, sed ποιεῖν, facere: neq; δικαίως ποιεῖν, *justè facere*, sed, πράττειν, *agere.* An hâc loci expositione aptior, & menti *Aristoteli* accommodatior, afferri possit, non immeritò dubitamus. Institit autem eidem & *Eustratius*, inter *Græcos Aristotelis* Interpretes non postremus. Sic enim ille *Comm.* in *l. c:* Ἐξωτερικὲς δ' ὀνομάζει λόγες, ὃς ἔξω τῆς λογικῆς παραδόσεως κοινῶς τὰ πλήθη φασί, *Exotericos sermones appellat, quos extra Logicam traditionem vulgò multitudo hominum dicit.* Παράδοσις autem propriè traditio est sive doctrina, quæ traditur ore. Quod observavit etiam *Hesychius* in *Lexico* scribens: Παράδοσις, ἄγραφος διδασκαλία, *Paradosis doctrina est, sine scriptura. Tertius* occurrit in *I. Eth: ad Eud: c. IIX*, ubi *Philosophus* disputat adversus decantatam illam boni ideam, quam Plato finxerat, dicens, separatam eam esse & æternam, ejusq; participatione bona existere, quotquot verè dicerentur bona. Alio nomine eam vocarat αὐτοαγαθὸν, sicut & alia-

aliarum rerum ἰδέας appellare consveverat, ut αὐτοάνθρωπον, ideam hominis; αὐτοΐππον, ideam equi; αὐτοδίκαιον, ideam justi &c, de quibus videri ipsemet potest in *Parmenide*, *Cratylo*, *Timæo*, *Dialogis* aliis. Adversus hujusmodi igitur ἰδέας insurgit *d. l. Philosophus*, atq; ait, dubitari posse, an ulla talis ullius rei detur ἰδέα, quibus mox subjungit: Ἐπέσκεπται δὲ πολλοῖς περὶ αὐτῆς τρόποις, καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς, καὶ ἐν τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν h. e. *Plurimi autem sunt modi, quibus inquiritur in hanc rem, tùm in exotericis sermonibus*, h. e. iis, qui πρὸς τοὺς ἔξωθεν habentur: *tùm in iis, qui sunt secundum Philosophiam*, id est, in acroamaticis, qui ἀκρίβειαν continent, & ad scientificam veritatis cognitionem sunt directi, ut priores illi ad δόξαν. Hi enim sunt λόγοι κατὰ φιλοσοφίαν, ut apparet considerantibus *I. Topic. XIV. §. VII. & IIX, XIV, §. 3.* Nempe *Aristoteles ideas, quas*, ut *Ciceronis* verbis utamur ex I. *Acad. Quæstionum, mirificè Plato erat amplexatus, ut in iis divinum quiddam esse diceret, omnibus viribus labefactabat*, non solum in secretioribus ἀκροάσεσι, cum ad genuinos auditores verba faceret: sed & extra illas, in auditorio aperto, & conventibus aliis, qvum res ita ferret. Quod & jam antè fecerat, vivente adhuc *Platone*. Cujus rei non obscura vestigia in ipsius *Platonis* Parmenide, non multùm ab initio, reperiuntur. Nam & *Platonici* passim de ideis, etiam ἐν ἐνδείξεσι, disseruisse videntur. Unde factum est, ut οἱ ἔξωθεν quoq; eas sermone suo usurparent. Quò alludere videtur *Aristoteles* etiam XIII. (aliàs est XI.) *Met: cap: I.* cum ait: *Non de Mathematicis solùm, sintne ea, nec ne, disserendum nobis est, sed & postea seorsum de ipsis ideis, si non* ἀκριβῶς, ἁπλῶς tamen, καὶ ὅσον νόμου χάριν, & *aliquantum legis gratiâ*, ut *Bessarion* reddidit, seu, ut nos reddendum esse arbitramur, *opinionis ergo*. Hanc enim significationem

passim vox, νόμος, apud *Philosophos* obtinet, ut cum in *E. Ethic: c: I. Philosophus honesta & justa*, quæ civili scientiæ ad considerandum proposita sunt, *tantam* ait *habere varietatem, tantisq; agitari erroribus, ut non* Φύσει, *sed* νόμῳ, id est, *non naturâ, sed opinione hominum talia esse videantur.* Et cum *Democritus* significare vellet, alba, nigra, dulcia, amara, calida, frigida, & cætera, quæ sensibus apparēt, cuncta eò tantùm esse, *quod talia viderentur*, ita hoc eloquebatur: Νόμῳ γλυκὺ, καὶ νόμῳ πικρὸν, νόμῳ θερμὸν, νόμῳ ψυχρὸν, νόμῳ χροίη, ut est apud *Sextum Empiricum lib: VII. adversus Dogmat*: qui & ipse eodem loco νόμον, δόξαν, interpretatur. Sed & apud Hippocratem vox hæc eodem sensu occurrit, videlicet lib. de hominis natura, ubi duo ista, κατὰ τὸν νόμον, καὶ κατὰ φύσιν, sibi invicem opponit. Ad quæ Galenus ita commentatur: Κατὰ τὸν νόμον μὲν οὖν ἐστὶ τὸ πρὸς τῶν ἀνθρώπων νομιζόμενόν τε καὶ δοξαζόμενον: κατὰ Φύσιν δὲ, τὸ κατ' αὐτὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν, *Juxta* νόμον *idem est, quod secundum placita hominum & opinionem: secundum naturam autem idem, quod secundum ipsam rerum veritatem.* Dicit itaq; Aristoteles sibi seorsum de ideis agendum esse, si non accuratè & accommodatè ad veritatem, rudi tamen Minervâ & secundum opinionem multorum. Τεθρύλληται γὰρ, ait, τὰ πολλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων, *plurima enim de ideis divulgata sunt, etiam in popularibus sermonibus*, ut proinde, vult dicere, nobis vitio verti non possit, si contra illas disseruerimus etiam ad captum extraneorum. Hic nobis sensus esse videtur istius loci, planus utiq; & simplex. Quem excipiat alter ille ex *Eudem: lib. II. c. I*, quo docetur, ex bonis alia esse ἐκτός, *externa*, alia *in corpore*, alia ἐν ψυχῇ, *in animâ*, ex *his* autem *præstantiora esse animi bona*, & mox subjungit: Καθάπερ διαιρούμεθα καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, h. e. *quemadmodum &*

& pervulgatâ oratione distingvimus, ut reddidit *Interpres*, quem *Aretinum* esse nonnulli habent persvasum. Nec malè reddidit, sed apposité tàm ad rem, quàm ad *Aristotelis* mētem. ὁμόψηφα enim hæc sunt iis, quæ apud *Philosophum* hunc leguntur in *I. Ethic: IIX.* & ex παραφράσει *Andronici* ita habent: Τῶν ἀγαθῶν τοίνυν εἰς τρία διαιρουμένων, καὶ τῶν μὲν λεγομένων ἐκτὸς, τῶν δὲ περὶ ψυχὴν, τῶν δὲ περὶ σῶμα. τὰ δὲ περὶ ψυχὴν ἀγαθὰ κυριώτατα καὶ μάλιστα ἀγαθὰ κοινῇ πάντες λέγομεν, *Cum ergò tripliciter distinguantur bona; aliaq́; externa, alia animi, alia corporis dicantur esse: bona quidem animi proprissimè & maximè bona esse COMMUNITER fatemur omnes.* Quod si verò appellatione τῶν ἐξωτερικῶν λόγων peculiares libros indigi asset, non in præsenti dixisset. καθάπερ διαιρέμεθα, sed præterito rursus, suo more, usus fuisset.

XIIX. Sed progrediamur ad *Politicos* libros. In istis λόγων ἐξωτερικῶν primùm meminit lib: III. c. VI, ubi duplex imperium constituit, alterum *herile*, quale est Domini in servos, in quo Dominus primò suum spectat commodum, servi secundariò & per accidens, ne illo pereunte, & ipse perire cogatur: alterum *patrium*, quale est Patris in liberos, in quo imperans primò spectat utilitatem illorum, quibus præest, suum secundariò & per accidens, quatenus scilicet simul vivit in eorum societate. Deinde addit: *Verùm hos imperij modos distinguere, difficile non est.* Καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις διοριζόμεθα περὶ αὐτῶν πολλάκις. Quem locum nonnemo ita *Latinè* convertit: *Quando id jam sæpius in aliis disputationibus est factum. & præcipuè in his libris, quos de moribus composuimus:* verùm, nostro quidem judicio, minus ad mentem *Aristotelis* accommodatè. Neq; enim apparet, quomodo libri *Ethici* respectu *Politicorum* ἐξωτερικοὶ dici possint, quandoquidem continuo nexu cum iis cohæ-

rent & unum cum iis constituunt corpus, ceu colligere est ex *lib: X. Ethic: c: ult:* Sed nec *Aristoteles*, si antiquissimis codicibus credimus, διωριζόμεθα, in *præterito*, scripsit, ut legisse videtur vir doctissimus, sed διοριζόμεθα, in *præsenti*, quo tēpore & aliàs uti solet, quando ἐξωτερικοὺς λόγους nominat, sicut ante notavimus *num: V.* Longè simpliciùs & ad mentem *Philosophi* propiùs locus iste converteretur hoc modo: *Etenim hæc imperiorum genera sæpè etiam in popularibus sermonibus distinguere solemus.* Quod sanè verissimū est. Nam & vulgus in quotidianis suis sermonibus hæc distinguit. Et dubium non est, quin & *Aristoteles*, cæteriq; *Philosophi*, eandem distinctionem sermonibus πρὸς τοὺς ἔξωθεν frequentarint. Tandem lib. VII. *Polit: c: I.* differens de optimâ vitâ, quæ præ cæteris maximè sit expetenda, *multa de eâ dici*, ait, etiam ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, *quibus sit utendum.* Ubi quòd per λόγους ἐξωτερικοὺς populares intelligat sermones, quibus vulgus in quotidianâ utitur vitâ, sequentia evincunt, quibus id, quod modò dixerat de λόγοις ἐξωτερικοῖς, confirmat. Addit enim: *Nam cum tria sint bonorum genera, nempe animæ, corporis, & externa, hæc omnia in vitâ optimâ*, h. e. beatâ, *concurrere debere nemo est, qui in dubium vocare ausit*, etiamsi inter vulgus hominum numeretur. *Quis enim tàm ineptus sit, ut beatum appellet eum, qui nec micam habeat fortitudinis, temperantiæ, justitiæ & prudentiæ, sed vel muscas prætervolantes metuat* aut, quæ *Platonis in Phædone* sunt, suam ipsius umbram exhorrescat: qui item *gulæ* ita sit deditus, ut si fame aut siti prematur, ne à *sordidissimo* quidem cibo ac potu abstineat: & vel *quartæ partis obuli causâ amicissimum* etiam *violare* non vereatur: deniq; qui adeò *stultus* sit, ut vel *puero* etiam sit *ineptior aut furioso. Verum* ταῦτα μὲν λεγόμενα ὥσπερ πάντες ἂν συγχωρήσειαν, *hactenus quidem omnes consentiunt*, quasi diceret, non docti solùm, sed & indocti.

XIX.

XIX. Atq; sic tandem apparet in omnibus locis, in quibus ἐξωτερικὸς λόγους nominat Philosophus, commodè intelligi posse sermones extra aures τῶν οἰκείων ἀκροατῶν sonantes, sive eos vulgus ipsum haberet: sive ad hoc *Aristoteles*, aut alius *Philosophorum*. Id quod & ipsa vox sonat. Eam enim non nulli derivant à præpositione ἐξ, quæ interdum idem quod *extra* notat, ut in illo *Homeri*, ἐκ καπνοῦ καταθεῖναι, sicut *Eustathius* observat: & nomine ὠτὸς, ut adeò ἐξωτερικὸν idem significet ad verbum, quod ἐξ ὤτων, quod *extra aures* est, eorum scilicet, qui mysteriis *Philosophorum* jam sunt initiati & in censum οἰκείων scientiarum auditorum relati. Sed quid fiet de λόγοις ΕΓΚΥΚΛΙΟΙΣ? Numquid & hi tale quid denotabunt, quod denotare ἐξωτερικοὺς λόγους modò innuebamus? Id quidem omninò necessarium est, si quidem λόγοι ἐξωτερικοὶ & ἐγκύκλιοι sunt iidem. *Verum* enim *vero consonat ubiq́, lib: I. Ethic: VIII. I. Prior: XXXII*, §.*1*. Esse autem eosdem & *Simplicius* docet *Comm: in I. de cœlo t. XCVII*, cum ait: Ἐγκύκλια φιλοσοφήματα καὶ ἐξωτερικὰ καλεῖν εἴωθεν, *Encyclia Philosophemata aliàs & exoterica vocare consuevit*. Et consentiunt Interpretes penè omnes, ut diximus *num: V*. Sed & Hesychius in Lexico ἐγκύκλια μαθήματα, τὰ ἔξω, interpretatur. Cæterùm ut ad plenum intelligamus, qui sint λόγοι ἐγκύκλιοι apud *Philosophũ*, juvabit investigasse, quid aliàs ipsi, aliisq; probatis Auctoribus, ἐγκύκλιον designet. Propriè igitur accepta vox hæc idem notat, quod *rotundum, globosum, orbiculatũ*. Ita in *II. de Cœlo* Philosophus ἐγκύκλιον vocat corpus istud, *quod semper naturâ in orbem movetur*. Paulò post ait, *plures esse cœlestes orbes*, quos ἐγκύκλια σώματα appellat. Ad extremum autem disputationis, quæ est de cœli stellis, ita scribens concludit: Περὶ μὲν οὖν τῶν τὴν ἐγκύκλιον φερομένων κίνησιν ἄστρων εἴρηται, *De stellis*, vult dicere, *quæ motu circulari seu*

 orbiculari

orbiculari circumferuntur, nobis dictum est. Sic enim *Aristotelem* intelligit *Alexander, qui* ἐγκύκλιον σῶμα κυκλοφορικόν τε καὶ θεῖον σῶμα interpretatur. *Justinus* etiam, *Philosophus & Martyr*, τὴν σφαιρικὴν καὶ ἔγκυκλον κίνησιν conjungit, in Everſ. *Dogmat: Ariſt: n. LIV.* Uſurpavit quoq; vocem eodem ſenſu *Dionyſius II. Antiquit: Roman: orbis converſionem*, à mundi partibus exorientibus initio ſumpto, *orbicularem* effici tradens his verbis: Ἥτε τοῦ κόσμου περιφορὰ ἐκεῖθεν ἀρξαμένη τὴν ἐγκύκλιον ἀποδίδωσι. Et *Plutarchus* de *æde Veſtæ à Rege Numâ ædificata* in hujus vita ſic ſcribit: Νουμᾶς δὲ λέγεται καὶ τὸ τῆς ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβέστῳ φρουράν. Quæ verba ita exponit *Sextus Pompejus*: *Rotundam ædem Veſtæ Numa Pompilius, Rex Romanorum, conſecraſſe videtur*. Eodem ſenſu voce ἔγκυκλον uſus eſt *Pollux lib: VII. Onom:* cap. *XIII.* de ſpecie quâdam veſtis, quam *Perineſſam* vocat, in hunc modum ſcribens: Τὰ δὲ περίνησσα, ἀπόκρεσσόν ἐστι περίβλημα, ἔχον τὰ νήματα ἐξηρτημένα, ἢ πορφυρᾶ κύκλῳ τὰ τέλη τοῦ ὑφάσματος, περιέρχεται νήσου σχῆμα ποιοῦσα τῇ περιρροίῃ τοῦ χρώματος. Καὶ τοῦτ' ἴσως νῆσον Ἀναξίλας ἀπεκάλει, εἰ μὴ ἕτερόν τι ὕφασμα δηλοῖ, ὅταν εἴπῃ, καί πως γυνὴ ὥσπερ θάλατταν, νῆσον ἀμφιέννυται. Τοιοῦτον δ' ἂν εἴη καὶ τὸ ἔγκυκλον. Quæ verba ſic interpretatus eſt *Rudolphus Gvalterus Tigurninus*: *Perineſſa verò, fimbriatus eſt habitus, fila dependentia habens. aut purpura circumquâq; oris cõtexta eſt, coloris hujus circuitione inſulæ ſpeciem exhibens. Et hunc nimirum habitum Anaxilas inſulã vocat, niſi fortè aliam quamdã veſtem intelligat, cum inquit: Et fortè mulier, ceu mare inſulam, veſtem induit: atq; talis nimirum & circularis veſtis* ἔγκυκλον, ait *Pollux*, *fuerit*. Quod igtur id circulare reddit *Rudolphus*.

XX. Hæc ergo eſt vocis hujus & cognatæ notio maximè propria, aliarumq; omnium princeps. Inde porrò per ſimilitudinem ad multa alia transfertur. Et *in I.* quidem *Meteorum c. I. Philoſophus grandi-*

nem, nivem, pruinam & id genus alia meteora vocat *encyclia*, idq; hâc de causâ, quod *ſingulis annis redeant, & circularis* quaſi ſit eorùm generatio. *Lib.I. Polit. c.VII.* meminit ἐγκυκλίων διακονημάτων, per quæ intelligit *quotidiana, vulgaria, obvia*, & in *orbem* quaſi *redeuntia* ſervorum miniſteria, ut *Montecatinus* & *Lambinus* exponunt: qualia v.c. ſunt induere & exuere Dominum, tergere veſtem & calceos, menſam ad ponere, pocula miniſtrare, lectos & cubilia ſtruere, libros deferre, & alia hujusmodi ſexcenta. Eodem ſenſu τὰς ἐγκυκλίους διακονίας vocat in *II. Polit. c.V*, dicens, *Dominos ſæpe numero iraſci ſervis, qui perpetuò ipſis adſunt*, διὰ τὰς διακονίας τὰς ἐγκυκλίους, *ob cotidiana officia*, vel, ut *Budæus* reddidit, *obvias operas & vulgares*. Lib. II: Oeconom: cap: I. quatuor recenſet adminiſtrationis domeſticæ genera, quorum tertium vocat πολιτικὸν, cui fructum aliquem aſſignat ἀπὸ τῶν ἐγκυκλίων, ex rebus, uti Interpres tranſtulit, *quotidianis & communibus*, ſive uſitatis & redeuntibus tempore certo. Ἐγκύκλιον igitur in novâ ſignificatione *Philoſopho* demerit, quod *obvium, triviale, quotidianum, quod plerumq; verſatur in vitâ*. Et ſanè non apud *Ariſtotelem* ſolùm, ſed & apud alios *Græcos* ſcriptores vox ſenſum hunc obtinet, ut apud *Iſocratem* in *Nicocle*, cum ait: Οὐ μόνον δὲ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις καὶ τοῖς καθ' ἡμέραν ἑκάστην γιγνομένοις αἱ μοναρχίαι διαφέρουσιν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν πολέμῳ πλεονεξίας πάσας περιειλήφασι, *Non ſolùm in vulgaribus & quotidianis rebus Monarchiæ precellunt, ſed etiam militiæ commoditates omnes potiores habent. Demoſtheni* quoq; in *Leptinem* ἐγκύκλιοι λιτουργίαι, & ἔγκυκλια ἴκηγα cõtra Ariſtogonetẽ eodẽ ſenſu dicuntur. Sed & *Dionyſius Halicarnaſſeus* eodẽ intellectu: Ἐγκύκλον, inquit, τοῦτο καὶ ἐν ἔθει ἦν ἤδη. *Suidas* ἐγκύκλιον interpretatur ἁπανταχοῦ καθολικὸν, citatq; in eundem ſenſum *Eunapium* ita lo-

quentē: Ἀλλ' ἦν ἐγκύκλιον αὐτῷ καὶ πρόχειρον τὰ τοιαῦτα ἁμαρτάνειν, *Sed hujusmodi peccata committere erat ei quotidianum & vulgare. Hesychius* autem illud exponit, τὸ πανταχοῦ κυκλοῦν. Ita enim legendum videtur, aut κύκλιον, ut alii volunt. *Ammonius* insuper proleg: in Categorias: Χορῶ, inquit, ἐγκύκλιοι dicuntur, qui ἐντεριόδεις καὶ ἐν τοῖς κύκλοις canebantur, πρὸς διαστολήν τῶν θυμελικῶν καὶ σκηνικῶν. Plutarchus lib: de Musicâ non proculà fine: ἔχεις τοὺς ἐπικυκλίους περὶ μουσικῆς λόγους, *habes sermonem de Musicâ circularem*, hoc est, vulgarem & ad mensam eruditorum ornandam accommodatam. Mensa enim circulo persimilis est, sicut & Athenæus observat lib: IV his verbis: Τὸ δεῖπνον ἦν καθημένοις κύκλῳ. Deniq; apud *Evagrium in III. Hist: Eccl:* cap. IV & V. *Basilisci* quoddā edictum συλλαβαὶ ἐγκύκλιοι & γράμμα ἐγκύκλιον appellatur, idq; ideò, ut putamus, quòd Sacerdotibus circum civitates usquequaq; mitteretur: è contrario alterum edictum, quod priore abrogato *Basiliscus* edidit, ἀντεγκύκλιον ibidem appellatur. Παιδεύματος quoq; & παιδείας ἐγκυκλίου, item artium ἐγκυκλίων, mentio passim apud probatos Scriptores occurrit, per eas institutionem ac artes vulgares intelligentes. Veluti apud *Strabonem*, qui lib: I. *de Geograph*: Πολιτικὸν, inquit, λέγομεν οὐχὶ τὸν παντάπασιν ἀπαίδευτον, ἀλλὰ τὸν μετασχόντα τῆς τε ἐγκυκλίου καὶ συνήθους ἀγωγῆς τοῖς ἐλευθέροις, καὶ τοῖς φιλοσοφοῦσιν, *Civilem hîc vocamus, non qui prorsum sit ineruditus, sed qui disciplinâ circulari & liberalibus ac philosophantibus usitatâ sit institutus.* Quo loco ἀγωγὴ ἐγκύκλιος καὶ συνήθης sine dubio pro eo, quod est *usitata institutio & consveta*, ponitur, pertinens ad eos etiam, qui exquisitam scientiam non quærunt, neq; totos se studiis *Philosophicis* mancipant, sed satis habent utcunq; non prorsus omnium liberalium artium esse ignari. Quintilianus hoc institutionis genus

nus *triviale* appellat. Consimili ratione *Plutarchus* in *lib:* περὶ τοῦ ἀκούειν: Ἐκεῖνα μὲν γὰρ ἤδη, ὥσπερ ἐγκύκλια καὶ κοινὰ πάσης ἀκροάσεώς ἐστι. Ubi πάσης ἀκροάσεως ἐγκύκλια καὶ κοινὰ, idem valet, quod *omni auditioni usitata & communia*. Quam autem ἀγωγὴν ἐγκύκλιον *Strabo* dicebat, eandem vocat *Plutarchus* ἐγκύκλιον παίδευμα in *lib:* περὶ παίδων ἀγωγῆς; & à quibus παιδεύματα ista traduntur, eos in *Alexandri vitâ* τοὺς περὶ τὰ ἐγκύκλια παιδευτὰς nominat. Refert enim *Philippum Macedoniæ* Regem nati magisterio præfecisse, non qui ἐγκύκλια, id est, literas, aliaq; vulgaria docerent, sed accersito *Philosophorum* nobilissimo & doctissimo, *Aristotele*, ejus prudentiæ singulari puerum, quem erudiret, commendasse. Verba ejus hæc sunt: Τοῖς περὶ μουσικὴν καὶ τὰ ἐγκύκλια παιδευταῖς οὐ πάνυ τι πιστεύων τὴν ἐπιστασίαν αὐτοῦ καὶ κατάρτισιν, μετεπέμψατο τῶν φιλοσόφων τὸν ἐνδοξότατον καὶ λογιώτατον, Hoc est, interprete *Hermanno Crusero: Musica & trivialium artium doctoribus nequaquam credens institutionem & expolitionem ejus Philosophorum clarissimum & eruditissimum accivit.* Nec dubium est, quin ad hujusmodi artes etiam respexerit *Hesychius* in vitâ Aristotelis, qvum de Philosopho hoc: Ἐγκύκλια, inquit, μαθήματα πρὸς ἀρετῆς ἀνάληψιν εὔχρηστα προέκρινεν, *Triviales disciplinas magno esse usui ad consequendam virtutem judicavit.* Quanquam quid per triviales illas artes intelligi debeat, non omnium eadem sit sententia. Multi enim existimant, παιδείαν ἐγκύκλιον eandem esse cum primâ illâ institutione, quâ *prima studiorum fundamenta* ponebantur, & *Grammatistica, Gymnastica,* & *Musica* docebantur cum *Picturæ* accessione, quam *Aristoteles in VIII. Polit: c.II.* τὴν ἐμποδὼν παιδείαν & *c.1. ejusdem libri* τὸ καταβεβλημένον παίδευμα, *receptam & tritam disciplinā* vocat. At si alios consulamus ex veteribus, apparebit, παιδείας

 ἐγκυκλίου

ἐγκυκλίυ nomine venisse antiquitus & aliam quandam politiorem institutionem, ad quam pertinebant *Grammatica*, *Geometria* item & *Arithmetica*, quæ uno nomine *Mathematica* disciplinæ dicebantur. Has enim omnes ferè ingenui & honesto loco nati, si non accuratè & exquisitè perdiscere, deliberare tamen modicè ac degustare consveverant. Neq; quisquam admittebatur ad *acroamaticos* sermones, qui harum disciplinarum rudis esset. Undè & *Plato* in foribus sui *Gymnasii* nobile illud dictum præscripserat: Οὐδεὶς εἰσίτω ἀγεωμέτρητος, *nemo huc ingrediatur expers Geometriæ*, id est, disciplinarum Mathematicarum ignarus. Quem imitatatus discipulus ejus *Xenocrates*, de quo ita *Laërtius* lib: IV. in vitâ ejus: Πρὸς τὸν μήτε μυσικὴν, μήτε γεωμετρίαν, μήτε ἀστρονομίαν μεμαθηκότα, βυλόμενον δὲ παρ' αὐτὸν φοιτᾷν, πορεύυ, ἔφη. λαβὰς γὰρ οὐκ ἔχεις φιλοσοφίας, *Ad eum, qui neq; Musicâ, neq; Geometriâ, neq; Astronomiâ instructus ludum suum frequentare cupiebat: Abi, inquit, ansis enim & adminiculis Philosophiæ cares*. Et hinc etiam *Plato* præcipit, ut *Mathematicæ* ante *Philosophiam* discantur in VII. *dell:* Et in *VII. de Rep.* appellat illas cùm *proœmia Dialectica*, tum προπαιδείας, quasi diceret *elementa eruditionis*. *Æschines* quoq; *Socraticus* in *Axiocho*, cum de miseriis vitæ humanæ disputat, conqueritur *pueris præponi Criticos* (sic olim *Grammatici* nominabantur, testibus *Dione* in *Orationib:* & *Sexto Empir: lib:* I. *adversus Dogmaticos*) *solere, atq; Geometras*, id est Mathematicos, *post in Lycéum & Academiam mitti*. Cui affinis est illa *Thaletis Philosophi* querela *de pueris, qui primùm traderentur ludimagistro, pædotribæ, musico, pictori; deinde, crescente ætate, Arithmetico & Geometræ*: Εἰ ἐκπέφευγε, ait, τὴν τιτθὴν, παρέλαβε πάλιν ὁ παιδαγωγὸς, ὁ παιδοτρίβης, γραμματοδιδάσκαλος, ἁρμονικὸς,

νικὸς, ζωγράφος προάγει ἡλικία, προσγίνεται ἀριθμητικὸς, γεωμέτρης, in *lib: de vitâ* apud *Stobæum serm: CCXLVII. Philo* item, eruditissimus ille *Hebræus*, multis in locis *Grammaticam* & *Mathematicas* artes ἐν τοῖς προπαιδεύμασι sive *ancillis atq; ministris* recenset. Hæ itaq; disciplinæ unà cum istis, quas in IIX. *Polit: Philosophus* enumerat, ἐγκύκλιοι antiquitùs dictæ fuerunt. Quâ voce utitur & *Epicurus* in Epistolâ ad *Pythoclem*. Sed & *Seneca* ex *Posidonio* Epist: LXXXIX artes nominat ἐγκυκλίους. *Philo* ἐγκύκλια θεωρήματα, & ἐπιστήμας ἐγκυκλίους. *Theo* ἐγκύκλια μαθήματα. *Maximus Tyrius* ἐγκύκλια absolutè. *Diogenes Laërtius* in *Democrito* ἐγκυκλίους λόγους: in *Menedemo* itidem ἐγκύκλια μαθήματα: in *Zenone* deniq; ἐγκύκλιον παιδείαν. Sed audiamus & *Sextum Empiricum* in *Procem: lib*: 1. *adversus Dogmaticos*, ita scribentem: Τὸ μὲν οὖν διδάσκειν ἀπό τινος ἐγκύκλια προσηγορεύεται μαθήματα, καὶ πόσα τὸν ἀριθμόν ἐστι, περιττὸν ἡγοῦμαι, *Atq; docere quidem, unde encyclia dicantur mathemata & quot sint, supervacaneum esse existimo, cum ex eâ, quam accepimus, doctrinâ, de iis sufficientem habuerimus institutionem. Quod autem est in præsentiâ necessarium, id est indicandum,* ὅτι τῶν λεγομένων πρὸς τὰ μαθήματα, τὰ μὲν καθολικῶς λέγεται πρός πάντα τὰ μαθήματα, τὰ δὲ ὡς καθολικῶς λέγεται πρὸς ἕκαστα. καὶ καθολικώτερον μὲν, τὸ περὶ τοῦ μηδὲν εἶναι μάθημα. ἰδιαίτερον δὲ, πρὸς μὲν γραμματικοὺς, εἰ τύχοι, περὶ τῶν τῆς λέξεως στοιχείων. πρὸς δὲ γεωμέτρας, περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐξ ὑποθέσεως λαμβάνειν τὰς ἀρχάς. πρὸς δὲ μουσικοὺς, περὶ τοῦ μηδὲν εἶναι φωνὴν, μηδὲ χρόνον, *Nempe quod ex iis, quæ dicuntur adversus mathemata, alia quidem universè dicuntur adversùs omnia* μαθήματα: *alia autem adversùs singula. Et magis quidem universè & in genere, quod nullum sit* μάθημα: *magis autem propriè, ut exempli gratiâ, adversus Gram-*

Grammaticos de elementis dictionis. Adversus Geometras autem, quòd non oporteat accipere principia ex hypothesi. Adversus Musicos deniq;, quod nihil sit vox, nec tempus. Ἐγκυκλίων ergò disciplinarum nomine antiquitus *Grammatica* quoq; & *Geometria* comprehensæ fuêre: quæ propriè μαθήματα dicuntur *Empirico*, & aliis ex veteribus, ἀπὸ τοῦ μανθάνειν, quod est discere, eò quod ad primam institutionem pertinerent; à *Philosophiâ* autem distinguuntur ab eodem in *fine* VI. & *principi*, *VII.* eorundem librorûm. *Porphyrius* etiam VI. de *Historiâ Philosophicâ*, teste *Tzetze in Chiliadibus* in orbe disciplinarum (κύκλον ille indigitabat,) numerat Grammaticam, Rhetoricam & Mathematicas: quibus velut fastigium & apicem addit Philosophiam. Idem observavit etiam *Clemens Alexandrinus in* I. *Strom.* scribens: Ἤδη γὰρ τινες τοῖς φίλτροις τῶν θεραπαινίδων δελεασθέντες, ὠλιγώρησαν τῆς δεσποίνης φιλοσοφίας, καὶ κατεγήρασαν οἱ μὲν αὐτῶν ἐν μουσικῇ. ἄλλοι δὲ, ἐν γεωμετρίᾳ. ἕτεροι δὲ ἐν γραμματικῇ. οἱ πλεῖστοι δὲ, ἐν ῥητορικῇ. ἀλλὰ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα συμβάλλεται πρὸς φιλοσοφίαν, τὴν δέσποιναν αὐτῶν, *Jam enim quidam ancillarum* (ita vocat ἐγκύκλια μαθήματα, cum Philosophiâ collata) *inescati philtris contempserunt Dominam Philosophiam, & ex ipsis alij quidem consenuerunt in Musicâ, alij verò in Geometriâ, alij autem in Geometriâ, plurimi verò in Rhetoricâ.* Quod quidem, vult dicere, fieri non conveniebat. Non enim in his disciplinis τὸ κύριον situm est, sed *circulares hæ disciplinæ conferunt solùm quid ad Philosophiam, quæ ipsarum Domina existit.* Sed & Origenes in Philocaliâ (ita vocantur Quæstiones Illustres ex universis Origenis scriptis à Basilio & Nazianzeno collectæ) cap: XIII: Διὰ τοῦτ᾽ ἂν, inquit, ηὐξάμην παραλαβεῖν σε, καὶ φιλοσοφίας Ἑλλήνων τὰ οἱονεὶ εἰς χριστιανισμὸν δυνάμενα γενέσθαι ἐγκύκλια μαθήματα ἢ προπαιδεύματα, καὶ τὰ ἀπὸ γεωμετρίας

τρίας καὶ ἀστρονομίας χρήσιμα ἐσόμενα εἰς τὴν τῶν ἱερῶν γραφῶν διήγησιν. ἵν' ὅπερ φασὶ φιλοσόφων παῖδες περὶ γεωμετρίας καὶ μουσικῆς, γραμματικῆς τε καὶ ῥητορικῆς καὶ ἀστρονομίας, ὡς συνερίθων φιλοσοφίᾳ, τοῦθ' ἡμεῖς εἴπωμεν καὶ περὶ αὐτῆς φιλοσοφίας πρὸς χριστιανισμόν, *Idcircò cupiebam ex Græcorum Philosophiâ ea te accipere, quæ ad Christianam doctrinam circulares disciplinæ vel præludia esse possunt, quæq; ex Geometriâ & Astronomiâ usui futura sunt ad sacrarum literarum interpretationem, ut quod de* Geometriâ, *Musicâ, Grammaticâ, Rhetoricâ & Astronomiâ Philosophi prædicant, tanquam Philosophiæ sociis & adjutricibus, id nos de Philosophiâ ad Christianam religionem dicamus.* Deniq; huc pertinent & ista Synesii in Dione: *Si verò ad legenda etiam sacra minimeq; profana accommodatior est, qui omnimodâ eruditione refertus est,* ὁ παντοδαπῶς ἔχων τοῦ λόγου, *& eam sibi facultatem comparavit, quâ societates hominum, utut volet, afficere queat: iniquiore hâc in parte conditione sit oportet,* ὃς οὐ περιελελέσθη τῷ κύκλῳ, *qui neq; liberalium disciplinarũ circulo initiatus est, nec Musarum orgia celebravit.* Quas autem hic ἐν κύκλῳ disciplinas vocat, non multò ante προπαιδεύματα vocaverat, inter ea Rhetoricam pariter ac Poëticam recensens. Dicebantur autem disciplinæ istæ ἐγκύκλιοι, quod *vulgares* essent, & parabiles etiam iis, qui accuratam scientiam non quærebant, neq; totos se studiis Philosophicis addixerant. Unde & *Galenus* multis in locis institutionem, quæ in his fiebat artibus, παιδείαν *communem* nominat *& vulgarem Græcorum.* Et *Dionysius Halicarnass: in IV. Antiquit: Roman:* eandem παιδείαν ἐπιχώριον dicit, id est, *institutionem patriam* ac *consuetam* seu tritam, ac ingenuis & liberis frequentatam. Ex quibus omnibus liquet, quod cùm Aristoteli, tùm aliis Scriptoribus probatissimis ἐγκύκλιον idem sit, ac

obvium, quotidianum, triviale, consuetum. Quo ipso sensu & *Demostheni* ἐγκύκλιοι λειτουργίαι veniunt, *Orat.* adversus *Leptinem.* Per illas enim nihil aliud intelligit, quàm ordinarias & vulgares actiones à Trierarchiis distinctas, quæ gravissimæ & onerosissimæ erant. Deniq; *Halicarnassius* ἐγκύκλιον τοῦτο, ait, καὶ ἐν ἔθει ἦν ἤδη. Et *Priscianus* l: XVIII. ἐγκύκλιον ait Græcos de *parabilibus* (sic enim legendum esse videtur, non ut alii legunt, probabilibus) & *vilissimis rebus* dicere: quales quibus quotidiè utimur, esse arbitramur. Atq; hinc & *Ammonius* de *differentiis vocabulorum* pueros idoneos judicat, qui *disciplinis circularibus* imbuantur, dicens: Πᾶς δὲ ὁ διὰ τῶν ἐγκυκλίων μαθημάτων δυνάμενος ἰέναι.

XXII. Quod si verò hoc ἐγκύκλιον demonstrat, absurdi sanè non erimus, si dicamus, *Aristotelem* per λόγους ἐγκυκλίους in I. *Nic. V.* & I. *de cœlo* IX. intelligere *quotidianos, obvios, vulgares sermones*, quales non solùm quotidiè in *communi vitâ* agitantur, sed qualibus etiam cùm *Aristoteles*, tùm ante illum *Philosophi* alii ἐν ἐντεύξεσι aliisq; conventibus publicis usi fuêre. Et cur non sermones, qui ἐν κύκλῳ habentur, dici possent ἐγκύκλιοι? At κύκλος apud *Græcos* scriptores interdum etiam significat multitudinem hominum, quasi in orbem collectam, ut apud *Eurip:* in *Andron:* Εἰς δ' συστάσεις κύκλους τ' ἐχώρει λαὸς οἰκήτωρ θεοῦ. Sed consideremus loca ex Philosopho paulò antè citata, & mox apparebit, accommodatissimam esse hanc expositionem. Quod igitur ad primũ eorũ attinet ex *I. Ethic: V.* (III), docueratibi Philosophus, summũ bonum humanũ non consistere in voluptate: sed nec in honore: imò ne in virtute quidẽ, si ipsa καθ' ἕξιν, & non κατὰ χρῆσιν spectetur. *Videtur enim*, inquit, *evenire posse, ut dormiat, inq; tota vitâ nihil agat is, qui virtute præditus est.* Quamquam enim dormire hominem toto vitæ tempore, sit impossibile, si naturam ipsius conside-

res, ut animal est, quâ de re videndus est *Philosophus lib: de somno & vig: c: I*; *virtutis* tamen causâ id contingens est, adeò, ut, etiamsi ponas aliquem, qui virtutem adeptus sit, statim obdormiscere, & dormire totum reliquum vitæ tempus, somnus tamen non sit impediturus, quò minus is retineat virtutem. *Non autem hoc solùm*, ait, *evenire potest, sed praterea contingit, ut is, qui virtute instructus est, multis versetur in malis, fortunâq; utatur maximè adversâ, imô, ut* aliàs loquitur, *vel in Priami incidat calamitates, qualem quidem nemo unquam felicem dixerit, nisi velit* θέσιν διαφυλάττειν, hoc est, *absurdum aliquod dogma ingenij acuendi ergò tueri. Verùm*, subjungit Philosophus, de his ἱκανῶς καὶ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις (λόγοις) εἴρηται, h.e. in sermonibus ἐν κύκλῳ habitis, non ab *Aristotele* ipso solùm, sed & ab aliis, inprimis à *Socrate*, qui, cum ex Physicâ contemplatione parùm utilitatis ad nos redire videret, ad moralem θεωρίαν animum deflectebat, deq; beatâ vitâ, aliisq; ad eam pertinentibus, frequenter sermonem faciebat, ἐπί τε τῶν ἐργαστηρίων καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, *in officinis, & in concione, sive in publico*, ut de eo testatur *Diogen: Laërt:* in *vitâ ejus lib: II.* Ad hujusmodi itaq; sermones provocat *Philosophus* dicto loco. Neq; ad alios fortè in altero isto ex I. *de cœlo c: IX* text: 100, si modò per ἐγκύκλια φιλοσοφήματα ibi intelligi possũt ἐγκύκλιοι λόγοι, prout hi idẽ significãt quod ἐξωτερικοί. Hâc enim de re dubitant nõnulli, quoniam φιλοσόφημα apud Aristotelem aliàs idem est, quod *demòstrativus syllogismus*, sicut videre est in *IIX. Top: c: XI. §. 16.* At ἐγκύκλια, ut æquivalent τοῖς ἐξωτερικοῖς, sunt τὰ κοινὰ καὶ δι᾽ ἐνδόξων περαινόμενα, ἀλλὰ μὴ ἀποδεικτικά, quæ *Simplicii* verba sũt ex *Cõm:* in *IV. Phys.* Unde cõcludunt τὰ ἐγκύκλια φιλοσοφήματα *c. l.* omninò aliud quid significare, quàm ἐξωτερικοὺς λόγους, nempe philosophemata, quæ sint de orbibus cœli encycliis &

rotundis, unde omnia, quæ vivunt in terris, hauriunt vitam. *Simplicius* tamen, ut vidimus n: XIX, quin jam ante eum *Alexander*, aliiq; non infimi ordinis Interpretes, ἐγκύκλια φιλοσοφήματα ἐξωτερικοὺς λόγους interpretantur, neq; cur nos ab iis recedamus, causam stringentem videmus ullam. Neq; enim semper φιλοσόφημα apud *Græcos Scriptores* idem est, quod syllogismus demonstrativus, sed aliquando etiam idem, quod commentatio aut dissertatio, quæ de rebus instituitur pertinentibus ad *Philosophiam*. Quô sensu voce *Clemens Alex*: usus esse videtur in *II. Stromat*: non multùm ab initio, qvum ait: Ἔφαμεν δὲ πολλάκις ἤδη μήτε μεμελετηκέναι, μήτε μὴν ἐπιτηδεύειν ἑλληνίζειν. ἱκανὸν γὰρ δὴ τοῦτο, ἀποδημαγωγεῖν τῆς ἀληθείας τοὺς πολλούς. τὸ δὲ τῷ ὄντι φιλοσόφημα, οὐκ εἰς τὴν γλῶσσαν, ἀλλ᾽ εἰς τὴν γνώμην ὀνήσει τοὺς ἐπαΐοντας, *Sæpè diximus, neq; nos, ut Græci essemus exercuisse, neq; in eo studium ponere. Hoc enim sufficit ad multos populari quâdam persvasione à veritate abducendos. At commentatio, quæ verè Philosophica est, non in linguâ, sed in mente juvabit eos, qui audierint.* Quod si vocem hanc eundem sensum & in I. *de cœlo* IX obtinere, ἐγκύκλιων autem eandem, quam n: XIX. habebat, & hîc habere dicamus significationem, non adeò procul à veritate aberraverimus, potiùs id dixerimus, quod menti *Aristotelis* maximè consentaneum sit & conforme. Ostendit enim isto loco, *extra cœlum dari viventia intellectiva, quæ totum gubernent mundum, nullisq; sint obnoxia mutationibus, & extra locum, extra tempus constituta, atq; vitam habeant in æternitate optimam & sufficientissimam.* Et mox addit, *consentaneum hoc esse iis, qui* ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι περὶ τὰ θεῖα *haberētur, sermonibus, quibus crebrò inculcetur, quòd divinum omne sit immutabile, primum ac supremum.* Ex hoc enim sequi, id, *quod*

divi-

divinum est, nihil habere mali, quod à se abjicere possit per motum: neque posse acquirere melius aliquid, cum sit primum ac supremum, adeoq; prius aliquod & superius se, aut melius non habeat. Ubi si per ἐγκύκλια φιλοσοφήματα intelligimus dissertationes, quæ de rebus *Philosophicis* habentur ἐν κύκλῳ, id est, *coram multitudine hominum in orbem quasi collectâ*, planus est sensus verborum. Dubium namq; non est, *Aristotelem*, aliosq; sapiẽtes in suis ad populum sermonibus crebrò huic quoq; inculcasse, quod immutabilia, prima ac suprema sint τὰ θεῖα, nihil superius agnoscentia. Neq; *Simplicius Aristotelem* aliter intellexit. Sic enim ille in *Comm:* Ἐγκύκλια δὲ φιλοσοφήματα καλεῖ τὰ κατὰ τάξιν ἀπ᾽ ἀρχῆς, τοῖς πολλοῖς προτιθέμενα, ἅπερ καὶ ἐξωτερικὰ καλεῖν εἴωθεν, *Encyclia autem Philosophemata vocat ea, quæ secundum ordinem à principio multis proponuntur, quæ aliàs exoterica vocare consuevit. Simplicio* consentiunt, qui ἐγκύκλια φιλοσοφήματα vertunt *disputationes circulares, quæ coram confusa multitudine habentur*. Item, *qui vulgares, aut externas*. Nisi forsan hi per *vulgaria & externa* φιλοσοφήματα intelligant *dissertationes, quas vulgus ipsum de rebus Philosophicis habere solet*. Nam & vulgus res Philosophicas tractat, etsi non φιλοσόφως; æquè, ut pueri Grammatica tractant, etsi non γραμματικῶς, *II. Ethic. c: III.* Sic de nive, ventis, aqua, aëre, grandine, typhone, prestere, & id genus aliis, quotidiè differit vulgus, licet non accommodatè ad τρόπον ἐπιστήμης, quem Physica h. e. naturalis scientia observat. Quapropter nonnulli talia & hac de causâ in *Meteor:* ἐγκύκλια dicta esse arbitrantur, quod quæstiones de his quotidiè fermè recurrant, & inter vulgus agitentur. Sed & de Diis non pauca in quotidianâ vitâ dicuntur, & multa quidem satis benè, naturâ duce, quibus & Philosophus uti possit. Atq; sic verba Ari-

ſtotelis ex I de cœlo intellexit Themiſtius. Sic enim ille in Paraphraſi ad ea ex translatione Moyſis Alatini, Medici Hebræi: *Perſapè in vulgi plebisq; de rebus divinis diſputationibus exponitur, omnino conſentaneum eſſe, in omni eo, quod primum eſt & extremum, ut divinum ſit, nullamq; mutationem conſequatur.* Deniq; ἐγκυκλίους quos aliàs dicit λόγους, in I. de *Anima c: IV.* vocat λόγους ἐν κοινῷ γινομένους, ubi quod intelligi poſſint αἱ ἄγραφοι αὐτοῦ συνουσίαι πρὸς τοὺς ἑτέρους, calculo ſuo confirmat *Joannes Grammaticus*, aliàs Φιλόπονος dictus, in *Comm: iſtius loci.*

XXIII. Dices: Eſto, poſſint intelligi per λόγους ἐξωτερικοὺς ſermones πρὸς τοὺς ἔξωθεν à Philoſophis habiti, id tamen non eſt veriſimile, *Ariſtotelem*, vel aliquo ſaltem *ec: ll:* intellexiſſe per eos ſermones ipſimet vulgo frequentatos. Indignum enim omninò videtur tanto *Philoſopho*, provocare ad vulgi conſenſum, cum is ſine ratione huic aut iſti ſententiæ adhæreat, & ob id non ſit dignus, cujus habeatur ratio in Philoſophiâ. Verum noſſe hìc oportet, quod vulgi nomine non ſolùm indigitetur promiſcua & ignobilis hominum de plebe multitudo; quæ propriè vulgus dicitur, voce à volvendo deductâ, quod ſtultè huc atq; illùc volvatur, ut Virgilius ait: *Sævitq; animis ignobile vulgus:* ſed & eodem veniant Philoſophis elegantes iſti ac politiores, qui in rebus agendis verſantur, myſteriorum interim, quæ in ſecretioribus ἀκροάσεσι aperiuntur genuinis ſcientiarum auditoribus, capaces non ſunt. *Vulgum*, ait *Seneca lib:* de *vitâ beatâ, tàm clamydatos, quàm coronam voco.* Sic enim vulgò legitur. Pro quo rectius *Lipſius* in *Electis lib: I. c: XIII: Vulgum tàm candidatos voco, quàm coloratos.* Inter cives enim Romanos honeſtiores, & qui non è fece plebis, veſte *albâ* incedebant, inter quos

quos illi quoq; numerabantur, qui Senatorii aut equestris ordinis erant. Alii autem ex infimâ plebe *pullati* erant seu, ut *Seneca* loquitur, *colorati*, sic dicti à vestium colore. *Quintilianus pullatum circulum* vocat. *Plinius* secundus *sordidos & pullatos*. Hos igitur omnes vulgi nomine complectitur *Seneca*, & Philosophi alii cum illo. Quis verò dixerit, candidatorum illorum nullam prorsus rationem habendam esse? in primis & in iis, quæ ad *Politicam* pertinent, in quâ Philosophus ut plurimum (nam *Ethica* πολιτικῆς πραγματείας pars est, *1.M.M:* 1,) rarò in aliis scientiis meminit τῶν ἐξωτερικῶν λόγων. Sunt enim & illi *quadantenus eruditi*, neq; παντάπασιν ἀπαίδευτοι, ut *Strabo* loquebatur n: XX, quippe informati in disciplinâ, quam ἐγκύκλιον supra ex veteribus nominabamus, ideoq; etiam *Philosophis* non despiciendi. Ut taceamus, ne eorum quidem, qui ex vulgo seu infimâ plebe sunt, judicium prorsus repudiandum esse, etiam, cum de veritate sermo agitatur. Omnes enim homines quadantenus, naturâ duce, verum attingunt. οἱ ἄνθρωποι, ait *Arist:* in *I. Rhet: c: I.* πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ἱκανῶς καὶ τὰ πλείω τυγχάνουσι τῆς ἀληθείας, *Homines naturâ idonei facti sunt ad id, quod verum est, & plerumq; veritatem consequuntur.* Quod etiam *Polybius* testatur circa finem *lib: XIII*, cum inquit: *Et mihi videtur maxima Deorum, natura, hominibus ostendisse veritatem, & maximam illi potestatem dedisse. Omnibus namq; ipsam oppugnantibus, & quibuscunq; quæ fidem faciunt, cum falso conjungentibus, nescio, quo pacto ipsa per se,* δι᾽ αὑτῆς, *in animos hominum ingrediatur: & interdum quidem statim ostendit vim suam, interdum verò diu obtenebrata, tandem ipsa suo Marte vincit, & debellat falsum.* Unde & ἀλήθεια Græcis dicta videtur ipsa veritas, ὡς τὸ μὴ λῆθον, *quod non lateat*, sitq; omnibus nota.

nota. Ἔχει γὰρ, ait iterũ Philosophus, ἕκαστος οἰκεῖόν τι πρὸς τὴν ἀλήθειαν. ἐξ ὧν ἀναγκαῖον δεικνύναι πως περὶ αὐτῶν, *Residet penes omnes aliqua veritatis confessio, quæ nostris confirmandis queat adduci*, in *I. Eud: VI.* Et certè negari non potest, magnum inde veritati accedere lumen, si omnes homines, non docti solùm, sed & indocti, consentiant in illam. Argumento enim id est, ipsam naturam quodammodò mentibus hominum ejus notionem indidisse. Ideò verissima esse judicantur *axiomata communia*, quippe καθ' ἃ οὐ διαφερόμεθα, ἀλλ' ὁμοδοξοῦμεν ἀλλήλοις οἱ ἄνθρωποι, ut loquitur *Simplicius in c: XXXIII. Enchirid. Epicteti, in quibus non aliud, sed idem sentimus omnes, ut bonum ab omnibus appeti: æquale nec superare, nec superari: bis duo esse quatuor &c.* Unde & κοιναὶ ἔννοιαι *Græcis* dicuntur, *Aristoteli* κοιναὶ δόξαι, ἐξ ὧν ἅπαντες δεικνύουσιν, *III. Met: II.* Inprimis autem in Practicis haud omninò negligendæ sunt opiniones, quas vulgus de rebus habet; non quidem, quasi hæc regula sit, secundum quam judicare oporteat de istiusmodi rebus (hîc enim observandum potius, quod *Basilius* alicubi præclarè monet, οὐκ εἶναι ὅ μᾶλλον φυλακτέον εἴη τῷ σωφρονοῦντι, τοῦ πρὸς δόξαν ζῆν, καὶ τὰ τοῖς πολλοῖς δοκοῦντα περισκοπεῖν, καὶ μὴ τὸν ὀρθὸν λόγον ἡγεμόνα ποιεῖσθαι τοῦ βίου. ὥστε κἂν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀντιλέγειν, κἂν ἀδοξεῖν καὶ κινδυνεύειν ὑπὲρ τοῦ καλοῦ δέῃ, μηδὲν αἱρεῖσθαι τῶν ὀρθῶς ἐγνωσμένων παρακινεῖν, *Nihil æquè commodum est cordato viro, atque illud, ne vitæ suæ rationem ad popularem opinionem accommodet, & quid vulgus sentiat, circumspectet. Rectam enim rationem vitæ ducem statuere convenit, & ita sequi, ut etsi omnibus mortalibus refragandum, si existimatio, si vita in discrimen adducenda sit pro honestatis defensione, tamen de rectâ sententiâ nullo modo depellatur*): sed quoniam veritatis tanta vis est, ut aliquando etiam vulgo sermonem

monem extorqueat, unde argumentum saltem probabile Practicus Philosophus petere possit ad ipsius veritatis defensionem. Rectè *Plutarchus Orat: I. de fortunâ Alexandri in fin*: Καίτοι κρίσεις μὲν ὀρθὰς πᾶσιν ἐνυπάρχειν ἀνθρώποις νομίζομεν, ἡ γὰρ φύσις ἀγωγός ἐστιν ἀφ' ἑαυτῆς πρὸς τὸ καλόν. οἱ δὲ φιλόσοφοι τῶν πολλῶν διαφέρουσι, τῷ τὰς κρίσεις ἔχειν ἐρρωμένας παρὰ τὰ δεινὰ καὶ πεπηγυίας, *Judicia autem recta omnibus hominibus putamus inesse, quod natura ultrò ad honestam ducat. Philosophi autem in eo præstant vulgo, quod judicia habeant rebus adversis incidentibus firma & roborata.* Inde *Philosophus*, postquam in *I. Eth:* de naturâ felicitatis *Practicæ* non pauca ex propriâ sententiâ disputasset, satis se fecisse suscepto muneri non putavit, nisi eâdem de re ex iis quoq;, quæ communiter de ipsâ dicuntur, aliqua afferret. Sic enim ipse in *I. eorum IIX:* Σκεπτέον περὶ αὐτῆς οὐ μόνον ἐκ τοῦ συμπεράσματος, καὶ ἐξ ὧν λόγος, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν λεγομένων περὶ αὐτῆς. τῷ μὲν γὰρ ἀληθεῖ πάντα συνάδει τὰ ὑπάρχοντα. τῷ δὲ ψευδεῖ, ταχὺ διαφωνεῖ τἀληθές. Quæ verba hunc habent sensum: *Investiganda est natura felicitatis non ex conclusione modò*, hoc est, ex eâ illius definitione, quam modò attulimus, & ex principiis, *ex quibus illa effecta est* (Sic enim Philosophum interpretatur *Eustrat:* in Comm: scribens: Φησὶ νῦν σκεπτέον περὶ αὐτῆς οὐ μόνον ἐκ τοῦ συμπεράσματος, ὁ αὐτὴ ἡ ἀρχὴ καὶ ὁ ὅρος ἐστί. ἐξ ὧν ὁ λόγος. τουτέστιν ἐκ τῶν προτάσεων, ἐξ ὧν ἡ περὶ αὐτοῦ δεῖξις συντέθειται:) *verum etiam ex iis, quæ de eâ dici solent ab aliis*, non Philosophis solum, sed & ἑτέροις πολλοῖς, quod iterum addit *Eustratius*. *Nam si reperiamus, ea convenire cum definitione à nobis traditâ, magno id argumento erit, eam veram esse. Vera enim veris consentiunt: falsis discrepant.* Et in *I. Eud: VI.* ait: *Operam navare oportet, ut his fidem faciamus per rationes, adhibitis*

tamen unà testimoniis, & exemplis evidentibus. κράτιστον μὲν γὰρ πάντας ἀνθρώπους φαίνεσθαι συνομολογοῦντας τοῖς ῥηθησομένοις, *Potentissima enim probatio est, si ostendi queat, omnes homines in id, quod dicimus, consentire.* τὰ γὰρ κοινῇ φαινόμενα πιστὰ, ut *Heraclitus* dicebat, *quæ communiter ita videntur, fide digna sunt. Multum,* ait & *Seneca Epist: CXVII,* quæ tertia est *lib: XXI, dare solemus præsumptioni* (anticipatæ opinioni, προλήψει) *omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam* Deos *esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est adeò extra leges moresq; projecta, ut non aliquos* Deos *credat. Cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium* (æthera, quod ex VV. CC. addit *Pincianus.*) Taceo etiam, quòd *Philosophus* aliquando ad λόγους ἐξωτερικοὺς, seu vulgi sermones, provocet, cum de vocis alicujus significatione ipsi sermo est, v. gr. vocum ποιεῖν & πράττειν, VI. *Ethic: IV.* In tali autem casu quidni etiam sapienti liceret provocare ad consensum vulgi? *Usu* enim valent nomina, sicut nummi, neque etiam *Philosopho* semper integrum est παραβαίνειν τὴν κειμένην λέξιν, *discedere à receptâ & usitatâ loquendi ratione, II. Topic: c: I. §. V.* Et ταῖς ὀνομασίαις τὰ πράγματα προσαγορευτέον, καθάπερ οἱ πολλοὶ, *iis nominibus res sunt appellandæ, quibus vulgus utitur,* II. Top. II. §. 5. VI. IX §. ult. Deniq; sufficit nobis ostẽdisse, quod per λόγους ἐξωτερικοὺς in locis *n: V.* citatis non necessariò peculiares libri intelligendi sint, sed quòd commodè per λόγους *sermones,* (quæ & propria est vocis significatio) intelligi queant, sive eos interpreteris sermones τῶν ἔξωθεν, sive sermones πρὸς τοὺς ἔξωθεν. Utrumvis enim dicas, significabis, tibi

saltem

ſaltem alteram noſtram dictorum Ariſtotelis locorum non diſplicere expoſitionem.

XXIV. Nihilominus antiquisſima, ut vidimus, eſt diſtributio librorum *Ariſtotelis* in *Exotericos* & *Acromaticos*. Neq; enim *Gellius* solùm, *Lucianus*, *Plutarchus*, aliiq; quàm plurimi, qui hos ſecuti ſunt, cùm *Græci*, tùm *Romani* ſcriptores eam ſcriptis uſurparunt; ſed *Strabo* etiam & *Cicero*, qui hos omnes ætate ſuperarunt, eandem ſine dubio indigitârunt verbis n. I. & II. adductis, licet neuter ibi expreſſè *Ariſtotelis* faciat mentionem. Quinimò poſterior hic alio loco & *Ariſtotelis* nomen expresſit, nempè *lib: IV. Epiſtol: XV ad Atticum*, ad hunc ſcribēs modum: *In ſingulis libris utor procemiis, ut Ariſtoteles in eis, quos ἐξωτερικοὺς vocat:* procemiis, puta, extrinſecus petitis. *Aliàs enim Ariſtoteles etiam in Acroäticis uti ſolet exordiis, ſed connexis ac cohærentibus cùm iis rebus, de quibus explicaturus erat.* Recentiores inſuper nominant diſertè quædam *Philoſophi* ſcripta, quæ ipſe ad ἐξωτερικὰ συγγράμματα retulerit, ut *Dialogum* de *animâ* ad *Eudemum Cyprium* familiarem ſuum *Themiſtius* in III. de *An: text: XXXVII.* & *Simplicius* in 1 de *An: IV: libros* de *Philoſophiâ verò Philoponus* in I. de *An: t. XXVI:* Tot autem tantorumq; virorum teſtimonia in dubium vocare non audemus, imò cum res geſtas attineat, ducimus eſſe nefas. Inprimis, cùm admodum probabile ſit, *Ariſtotelem* ſermones Exotericos, quos præſertim ἐν περιπάτῳ pomeridianis horis habuit, in ſcripta redegiſſe, eaq; perlecta & caſtigata invulgaſſe, aut ſaltem *Theophraſto* reliquiſſe, ut divulgarentur. Hoc enim in more poſitum erat *priſcis ſapientibus*, ut non tantùm ea, quæ genuinis & familiaribus diſcipulis tradere conſveverant, ſcriptis mandarent, (quæ tamen de induſtriâ obſcurabant, ut non niſi ab οἰκείοις, i. e. domeſticis

 diſcipu-

discipulis intelligerentur,) sed & quotidianos sermones, & quidem non solùm proprios, verùm & aliorum, quorum institutione usi erant. Vera nos dicere confirmat *THALETIS Milesii*, unius ex septẽ *Græciæ* sapientibus, epistola, quam *Pherecydi* scriptam refert *Diogenes Laërtius lib. I. in vitâ Thaletis*. Initium ejus ita habet: Πυνθάνομαί σε πρῶτον Ἰώνων μέλλειν λόγους ἀμφὶ τῶν θείων χρημάτων εἰς τοὺς Ἕλληνας φαίνειν. καὶ τάχα μὲν ἡ γνώμη τοι δικαίη, ἐς τὸ ξυνὸν καταθέσθαι γραφὴν, μᾶλλον ἢ ἐφ' ὁποιοισοῦν ἐπιτρέπειν χρῆμα εἰς οὐδὲν ὄφελος, *Audio te primum Jonum de divinis rebus apud Græcos palàm disserere parare. Verùm justiore fortassis sententiâ inter amicos ea, quæ scripseris, leges, quàm passim quibuscunq; permittes, nullo illis emolumento futura*. Scripserat autem *Pherecydes* libros, quos in vulgus edere parabât, non πραγματικῶς & ad scientiam accommodatè, quod *Thales* existimasse videtur, sed *populariter* solùm ad vulgi sensum atq; intelligentiam, prætermissis iis, quæ *Thales* judicat, nullum emolumentum allatura esse populo, quòd essent supra ejus captum. Itaq; ipse moribundus ad *Thaletem* scribit: Ἐπέσκεψα δὲ ὦν τοῖσιν οἰκιήτῃσιν, ἐπήν με καταθάψωσιν, ἐς σὲ τὴν γραφὴν ἐνέγκαι. σὺ δὲ ἢν δοκιμώσῃς σὺν τοῖς ἄλλοις σοφοῖς, οὕτω μιν φῆνον. ἢν δὲ οὐ δοκιμώσητε, μὴ φήνῃς. ἐμοὶ μὲν γὰρ οὔκω ἥνδανεν. ἔστι δέ οὐκ ἀτρεκίη πρηγμάτων, οὐδ' ὑπισχνέομαι, ὅτ' ἀληθὲς εἰδέναι. ἅσσα δ' ἂν ἐπιλέγῃ θεολογέων, τὰ ἄλλα χρὴ νοεῖν. ἅπαντα γὰρ ἀνίσσομαι, *Mandavi quibusdam ex familiaribus, ut cum me sepelierint, ad te perferant, quæ scripsi. Tu autem, siquidem ea probaveris cum sapientibus reliquis, ita legenda demum trades: sin autem improbaveris, nolito edere. Mihi certe nec dum satis placebant. Est ibi quidem non certa rerum fides, neq; enim id recepi, neq; quid sit verum, me scire professus sum. Fortè quædam*
de

de Theologia reſervavi: cætera intelligere oportet. Omnia enim indico potiùs, quàm aperio. Hæc in epiſtolâ ſuâ ad *Thaletem Pherecydes*, apud *Laërt:* lib. I. *in vit. Pherecyd:* Quibus apertè profitetur, disſeruiſſe ſe in ſcriptis, quæ poſt obitum ſuum ad *Thaletem* perferenda diſcipulis crediderat, de iis, quæ intelligere oportebat: at alia ſecretiora indicâſſe potiùs, quàm aperuiſſe.

XXV. Hunc morem obſervârunt & alii *Græciæ* ſapientes. De *PARMENIDE* enim teſtatur *Proclus* V. *Commentariorum in Parmenidem Platonis*, quòd alia ad *veritatem* ſcripſerit, alia ad *opinionem*. Verba ejus ſunt: Καὶ αὐτὸς Παρμενίδης τὰ δὲ πρὸς ἀλήθειαν ἔγραψε, τὰ δὲ πρὸς δόξαν. De *ANTISTHENE* autem Hieronymus lib: II. contra Jovinianum cap: IX. memorat, quod *aliquos libros Philoſophico genere ſcripſerit, alios autem Rhetorico*, ſine dubio non in gratiam eorundem, nec eâdem intentione. De *PLATONE* etiam conſtat ex II. ejus *Epiſtola* ad *Dionyſium*, cum longè aliter ſenſiſſe de rebus, quàm vulgus hominum, noluiſſe tamen dogmata ſua efferri in publicum, ne deſpicatui fierent non intellecta: ſed ea potiùs, quæ alii ſentirent, in unum collegiſſe, eaq; caſtigata & polita in publicum prodire paſſum eſſe, præſertim, quæ Socrates adhuc junior dixerat. Digna ſunt verba ejus, quæ hîc legantur, inprimis, cum ad eorum quoq;, quæ n: XII. dicta ſunt, dilucidationem aliquid conferant. Ita ergò ea habent: Εὐλαβοῦ μέντοι, μήποτε ἐκπέσῃ ταῦτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους. σχεδὸν γὰρ ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ ἔστι τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς καταγελαστότερα ἀκούσματα. οὐδ᾽ αὖ πρὸς τοὺς εὐφυεῖς θαυμαστότερά τε καὶ ἐνθουσιαστικώτερα. πολλάκις δὲ λεγόμενα καὶ ἀεὶ ἀκουόμενα καὶ πολλὰ ἔτη, μόγις ὥσπερ χρυσὸς, ἐκκαθαίρεται μετὰ πολλῆς πραγματείας. ὃ δὲ θαυμαστὸν αὐτοῦ γέγονεν ἄκουσον. εἰσὶ γὰρ ἄνθρωποι ταῦτα ἀκηκοότες, καὶ πλείους, δυνατοὶ μὲν μα-

μαθεῖν, δυνατοὶ δὲ μνημονεῦσαι, καὶ βασανίσαντες πάντως κρῖναι γέροντες ἤδη καὶ οὐκ ἐλάττω τριάκοντα ἐτῶν ἀκοηκότες. οἱ νῦν ἄρτι σφίσι φασὶ, τὰ μὲν τότε ἀπιστότατα δόξαντα εἶναι, νῦν πιστότατα καὶ ἐναργέστατα φαίνεσθαι. ἃ δὲ τότε πιστότατα, νῦν τοὐναντίον. πρὸς ταῦτ' οὖν σκοπῶν εὐλαβοῦ μήποτέ σοι μεταμελήσῃ τῶν νῦν ἀναξίως ἐκπεσόντων. Μεγίστη δὲ φυλακὴ, τὸ μὴ γράφειν, ἀλλ' ἐκμανθάνειν. οὐ γὰρ ἔστι τὰ γραφέντα, μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν. Διὰ ταῦτα οὐδὲν πώποτ' ἐγὼ περὶ τούτων γέγραφα. οὐδ' ἔστι σύγγραμμα Πλάτωνος οὐδὲν, οὐδ' ἔσται. τὰ δὲ νῦν λεγόμενα, Σωκράτους ἐστὶ καλοῦ καὶ νέου γεγονότος, id est, *Cave, ne incidant hæc* (μυστηριωδέστερα) *unquam in aures hominum disciplinæ eruditionisq́; expertium. Nulla enim sunt, ut mea fert opinio, quæ dicta ad populum magis ridicula videantur: neq́; quæ apud nobiles & generosas naturas prolata, magis mirabilia & divina. Sæpè verò dicta semperq́; audita & multis annis, vix tandem velut aurum cum magno labore purificantur. Nam quod in hâc re mirabile contingere consuevit, id audi. Sunt complures homines, qui ista jam audierunt: pollentes docilitate, pollentes memoriâ, in examinando & judicando solertes, provecti jam ætate, neq́; minus triginta annis hæc audierunt. Hi tamen affirmant, quæ auditu quondam incredibilia maximè videbantur, ea sibi nunc primum valdè credibilia videri atq́; perspicua: & quæ tunc probabilissima, ea nunc sibi contra videri. Hæc igitur intuens cave, ne quando te pœniteat eorum, quæ tibi indignè ac temerè nunc exciderunt. Maxima verò hujus rei custodia est, nihil scribere, sed ediscere. Nam fieri non potest, ut, quæ scripta sunt, non excidant. Hâc de causâ nihil ego de iis scripsi unquam, neq́; est Platonis opus præscriptum aliquod, neq́; erit. Quæ autem modò dicuntur, Socratis sunt, juvenis quidem, virtute tamen clari.* Hæc *Plato.* Cui in Scholâ, teste Laërtio in vitâ ejus, successit *SPEUSIPPUS*, qui & ipse ea, quæ probabiliter dissertarat quoti-

dianis

dianis sermonibus, in libros conjecisse traditur, quos ὑπομνηματικοὺς διαλόγους inscripserit, quorum idem Laërtius injicit mentionem. Ὑπομνήματα enim Græci vocant, quæ Cicero pro Roscio & alii Latinorum adversaria appellant, ac nihil aliud erant, quàm libelli, in quos redigebant memoriæ causæ, quæ excidere sibi solebant. Quo sensu vocem hanc adhibuisse videtur etiam Demosthenes Orat: II. adversus Aphobum: *Advocandi*, inquit, *mox post obitum Patris fuissent testes complures, à quibus consignari testamentum juberent, ut si quid fortè controversiæ oriretur, ad illud scriptum recurri, & omnium rerum veritas planè inveniri posset. Nunc alia quædam consignanda censuerunt, in quibus multa de relictis opibus inscripta non fuerunt,* ὑπομνήματα δ' ἄν, *nuda duntaxat adversaria* seu, ut ita loquamur, *memorialia*, non alio fine scripta, quàm ut memoriæ subsidio essent. Unde Διάλογοι ὑπομνηματικοὶ disceptationes erunt in libros memoriæ ergò relatæ. Videtur ergò omninò Speusippus in scripta redegisse eas, quas ipse cum aliis habuit, disputationes, quò memoriam ipsarum & sibi refricaret, & aliis insuper ea fortè legentibus inserviret. Sed & *Stoici* videntur habuisse aliquos quidem *exotericos* libros, alios autem *esotericos*, quibus secretior doctrina, non cum omnibus communicanda, fuit comprehensa. Locus insignis hâc de re est apud *Galenum lib. III. de placitis Hipp: & Gal: Tom. I.* Ore: Οὐ μὴν προσίενταί γε πάντες οἱ Στωϊκοὶ τὴν τοιαύτην ἐξήγησιν. ἀλλ' ἕτερόν τι λέγεσθαί φασιν, οὐ δηλοῦσι δ' αὐτὸ τῶν ἐσωτερικῶν ὑπάρχειν δηλονότι καὶ ἐπιτιμῶσιν ἡμῖν εὐθέως ὡς προπετῶς ἀντιλέγουσι πρὶν γνῶναι τὸ λεγόμενον, *Neq; enim Stoici talem recipiunt expositionem, sed aliud quid dici ajunt, non patefaciunt verò ipsum, quippe quod sit aliquid eorum, quæ ad interiorem thesaurum pertinent: & reprehendunt nos, quod adeò*

præ-

præcipitanter contradicamus, priusquam cognoverimus id, quod dictum est. Idem de *STOICIS*, quin non de *Stoicis* solùm, sed & *PYTHAGOREIS* & *EPICUREIS* refert *Clemens Alexandrinus* in V. *Stromat*: his verbis Οὐ μόνοι ἄρα οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Πλάτων τὰ πολλὰ ἐπεκρύπτοντο, ἀλλὰ καὶ οἱ Επικέρειοί φασί τινα καὶ παρ' αὐτοῖς ἀπόρρητα εἶναι, καὶ μὴ πᾶσιν ἐπιτρέπειν ἐντυγχάνειν τούτοις τοῖς γράμμασιν. ἀλλὰ καὶ Στωϊκοὶ λέγουσι Ζήνωνι τῷ πρώτῳ γέγραφθαί τινα, ἃ μὴ ῥαδίως φιλοσοφεῖν, *Non soli autem Pythagorei & Plato multa occultabant, sed & Epicurei dicunt, quædam esse apud se arcana & non permittere omnibus, ut ea scripta legant. Quin etiam Stoici dicunt, à Zenone primò quædam fuisse conscripta, quæ non facilè permittunt legere discipulis, quorum non prius factum fuerit periculum, an germanè & sincere philosophentur.* Quapropter hæc erat antiquitus sapientum, quorum nomen præ cæteris clarum erat in orbe, fermè omnium cousvetudo, ut secretiorem quidem doctrinam in acroamaticis scriptis genuinis discipulis relinquerent, communia interim & ἐξωτερικὰ peculiaribus libris comprehensa in vulgus ederent, & publico usui destinârent: unde & χρειώδεις, usuales, libri illi dicti fuisse videntur, quâ de re *Proclus* videndus est in *Parmenidem Platonis*. *Aristoteles* autem nemine facilè inter veteres sapientes inferior fuit, non solùm doctrinâ, sed ne studio quidem inserviendi bono posteritatis. Ideò verisimile est, ipsum quoq; præter acroämaticos libros, in quibus οἰκείους ἀκροατὰς erudit, alios adhuc conscripsisse, in quos τοὺς ἔξωθεν λόγους retulerit, inprimis cum tot tantæq; auctoritatis scriptores hoc ipsum tàm dilucidè testentur. Unde autem horum librorum petendum sit discrimen, in id nunc porrò inquirendum est: nondum enim satis constat.

XXVI.

XXVI. Id quidem ex dictis jam liquidò apparet, errare eos, qui libros *exotericos* dictos esse volunt τὰς ἐκδεδομένας, hoc est, *editos: acroämaticos* autem *non foràs datos.* Hoc enim prorsus non congruit iis, quæ ex *Gellio* & *Plutarcho* supra recitavimus, quippe qui referunt, & quidem ex *Andronico Philosophico*, qui, teste *Ammonio in lib. de Interp.* undecimus fuit ab *Aristotele*, & primus *Aristotelis libros* εἰς πραγματείας distribuit, auctore *Porphyrio* in *vitâ Plotini*, *Alexandrum Regem* conquestum, quod Aristoteles acromaticas disciplinas, quibus ab eo eruditus fuerat, libris foràs editis invulgâsset. Sed & eos in errore versari exsupra narratis, apparet, quibus *exoterici* libri idem sunt, quod *extranei*, hoc est, extra πραγματείαν istam, in quâ citantur, constituti, ita ut v. gr. libri τῶν μετὰ φυσικά, itemq; libri de animâ sint ἐξωτερικοὶ in *Ethicâ* πραγματείᾳ, sub quo nomine & citari eos à *Philosopho* asserunt, posteriores quidem in I. *Ethic. cap. XIII.* priores autem in I. *Eud: VIII.* Nam si ita se res haberet, jam non alii libri ἐξωτερικοὶ, alii ἀκροαματικοὶ essent, sed iidem pro diverso respectu nunc ἐξωτερικοὶ, nunc ἀκροαματικοὶ dicerētur. Quod rursus non congruit iis, quæ de libris *exotericis* & *acroämaticis* referunt *Gellius*, *Plutarchus*, *Cicero*, *Galenus*, aliiq; ex veteribus, à quorū testimonio hic nobis est standum. Ex eorum namq; verbis, quæ suis locis adduximus, nimis clarum est, non τῷ λόγῳ, sed τῷ πράγματι libris his intercedere discrimen. Aliunde itaq; discrimen eorum erit petendum. Et quidem ex eodem fonte sine dubio, ex quo petitur discrimen inter ἐξωτερικοὺς & ἀκροατικοὺς λόγους. Hos enim acroämaticis, istos exotericis Philosophus complexus est scriptis. Quod & in primis perspicuè ex testimonio *Gellii* cōstat. Postquā enim dixerat, *Aristotelem* commētationum suarum, quas discipulis tradidisset, duas habu-

isse species, alias ἐξωτερικὰς, alias ἀκροαματικὰς, tandem subjungit: *Librosq́ suos earum rerum omnium commentarios seorsum divisit, ut alij ἐξωτερικοὶ dicerentur, partim ἀκροαματικοί* Quodnam autē inter istos λόγυς discrimen sit, id confusè quidem adumbratum est supra §.*IIX.* & seqq:, nunc verò enucleatiùs est explicādum, ut sub distinctiore appareat formâ. Qui enim accuratè rem aliquam pertractare volunt, eos imitari oportet pictores, qui primùm effigiem quamdam adumbrant & delineant (rudis hæc & inchoata futuri operis in picturis delineatio ὑπογραφὴ diciturcui in statuariorum, plastrarum, similiumq; artificum operibus respondet τύπος) dehinc penicillum per easdem lineas denuò ducunt, omniaq; accuratiùs distingunt. Vid: *Philoponus* in *I. Phys: c.I.*

XXVII. Solet autē variis à rebus peti discrimē τῶν λόγων; inprimis tamē à quatuor sequētibus his. Nempe initiò à *materiâ*. Pro hujus enim varietate alius est λόγος de DEO & rebus divinis, alius de rebus naturalibus, alius de moralibus, & sic deinceps. Deinde à *fine*. Porrò à *modo considerādi*. Deniq; & à λέξει s. *genere dictionis*. Spectemus itaq; principio *materiam subjectā* sermonum acroamaticorū, & videamus, sit ne eadem & exotericorum, an diversa, hinc initio sumpto. Extra controversiam positum est, sermones ἀκροαματικοὺς veterum *Philosophorum* non de quâvis re aut disciplinâ quâvis fuisse susceptos, sed de iis, quæ ad summam hominis beatitudinem aliquid conferrent. Eò enim dirigebant cuncta sapientissimi homines, ut auditores suos DEO similes efficerent, id est beatos: unde & *Philosophiæ finem* statuebant εὐδαιμονίαν, vel ὁμοίωσιν *cum DEO*, sicut de *Platone* & *Zenone* testatur *Clemens Alexandrinus*, de isto quidem eo, quem n. VI. notavimus, loco: de utroq; autem in *V.* Strom: scribens:

Oi

Ο μὲν Στωϊκοὶ, τὸ τέλος τῆς Φιλοσοφίας, τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν, εἰρήκασι. Πλάτων δὲ, ὁμοίωσιν θεῷ. Ζήνων δὲ ὁ Στωϊκὸς παρὰ Πλάτωνος λαβὼν, *Stoici quidem dixerunt, finem Philosophiæ esse secundum naturam vivere* (hoc autẽ juxta illos est idem, quod beatum esse, de quo vid: *Cicero in IV. de finibus, & Seneca lib: de vitâ beatâ* c. IIX.) *Plato autem DEO assimilari: & Zeno Stoicus, qui id accepit à Platone.* Idem de posteriori hoc docet etiã *Justinus* in *Dialogo cum Tryphone.* Non ex *Platonis* autem solùm, sed & *Aristotelis* mente *Ammonius* præfat: in Isagogem Pophyrii *Philosophiam* dicit esse ὁμοίωσιν Θεῷ, κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, *similitudinem Dei, quatenus scilicet illa homini possibilis existit.* Et præfat: in lib: Categ: ὕλην, *materiam*, Philosòphiæ dicit esse τὰ πράγματα, τέλος autem s. *finem* πρὸς τὸν Θεὸν ὁμοίωσιν, *similitudinem Dei.* Ex disciplinis autem, quæ aliquid conferunt ad beatitudinem hominis, aliæ *principales* sunt, aliæ *organicæ* s. ministræ, siquidem communem sequamur divisionem. Illæ rursus dividuntur in *Theoreticas* & *Practicas.* Ex quibus *Theoreticæ* finem sibi propositum habent θεωρίαν: suntq; numero tres, ut docet Arist: in VI. Met: c. I, *Mathematica* scilicet, quæ circa quantitatem, tàm continuam, quàm discretam occupata est; *Physica*, quæ considerat substantias mobiles, earumq; affectiones, motus, generationes, corruptiones &c: & *Metaphysica*, quæ omnium rerum prin as & universalissimas caussas venatur, I. E Iq; summam majestatem, quantum ingenii humani viribus licet, scrutatur & contemplatur, in quâ contemplatione summa hominis perfectio sita est, non quidem, quatenus homo est, sed ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει, *quatenus divinum quid ipsi inest*, X. *Ethic.* VII. Ad eam autem confert rerum naturalium notitia, uti ad hanc cognitio earum rerum, quæ in *Mathematicâ* pertractantur, ut monet etiam *Ptolemeus lib. I. Almag: c. I. Practicarum* porrò scientiarum

tiarum ἐνέργεια quidem, similiter ut *Theoreticarum*, θεωρία, *contemplatio*, est, in eâ tamen non subsistunt, sed ultrà tendunt, nempe ad actionem instituendam juxta istiusmodi θεωρίαν, quam pro fine habent II. Ethic: II. Earum duæ sunt species. Prima vocatur *Politica*; cujus altera pars *Ethica* est, quæ aliàs dicitur πολιτικὴ περὶ τὰ ἤθη, *I. Rhet*: IV. *I. M. M. I.* & quærit, quâ in re versetur *beatitudo humana*, sive ea, quæ homini, quà homo est, convenit, docetq;, eam versari in exercitio virtutum continuato, neq; actione contrariâ interrupto: altera est *Politica* κατ' ἐξοχὴν sic dicta, quæ ostendit, quomodo felicitas in Ethicis declarata in rempublicam inferri possit. Secunda species *Practicarum* disciplinarum appellatur *Oeconomica*, quæ explicat, quomodo domus optimè sit constituenda & administranda, quodq; sit officium mariti & uxoris, parentum & liberorum, domini & servi, ex quibus domestica societas conflata est. Vid: *I. Oec: c. I. I. Polit: VII.* Deniq; sunt aliquæ disciplinæ *ministra s. organica*, quæ ad μέθοδον pertinent, cujus ope cùm in *Theoreticis*, tùm in *Practicis* rebus dexterius versamur. Tales sunt *Analytica* & *Dialectica*, cui ἀντίστροφος καὶ ὁμοίωμα est Rhetorica, I. Rhet. I. & IV. Alio nomine vocantur *Logicæ*, sicut primi generis disciplinæ dicuntur *Physicæ*, secundi autem *Ethicæ*. Quæ appellationes, si *Eusebio* credimus, jam à *Platone* fuerunt usurpatæ. Refert enim is in XI. *de præpar. Evang*: II. *Platonem Philosophicas scientias in Physicas, Ethicas & Logicas divisisse.* Eamq; divisionem & *Cicero* retinuit in lib: *de Orat*: aliiq; è *Stoâ* oriundi, teste *Plutarcho* I. de *plac*: *Philos*: I. Ex quibus sequitur, λόγον quoq;, quem ἀκροατικὸν dicebamus, h.e. accommodatum ad *Philosophicas disciplinas*, viam ad beatitudinem faciliorem reddentes, ratione *materiæ* esse tripartitum, nempe φυσικὸν, de rebus natu-

naturalibus, item de DEO & divinis &c: ἠθικὸν, de rebus sub actionem cadentibus: & λογικὸν, de iis, quæ ad tractationem istarum rerum aptam conducunt. Affert *divisionem* hanc ex *Stoicorum* sententiâ *Diog: Laërt: in vitâ Zenonis lib: VII:* Τριμερῆ, inquit, φασὶν (οἱ Στωϊκοὶ) εἶναι τὸν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον. εἶναι γὰρ αὐτοῦ τὸ μέν τι, φυσικόν. τὸ δὲ, ἠθικόν. τὸ δὲ λογικόν, *Tripartitum esse dicunt* Stoici *sermonem secundum Philosophiam, & alium quidem esse Physicum, alium Ethicum, alium Logicum.* Ex quibus φυσικὸν μέρος, ut idem ait in *Proœmio*, est περὶ κόσμου, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ. ἠθικὸν δὲ, τὸ περὶ βίου καὶ τῶν πρὸς ἡμᾶς. λογικὸν δὲ, τὸ ἀμφοτέρων τοὺς λόγους πρεσβεῦον, h. e. *Physicus sermo est de mundo & iis, quæ sunt in mundo: Ethicus est de vitâ & iis, quæ ad nos pertinent: Logicus autem ambarum partium affert rationes.* Jam verò de his omnibus etiam ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς actum fuisse videtur λόγοις, v.gr. de *DEO*, ut patet ex I. de *Cœlo IX:* de *animâ* ex I. Ethic ult: : de *Ideis* ex I *Eud:* IIX, XIII. *Met:* I: de *flumine*, *grandine, prestere, typhone* & similibus aliis, I. *Metcor.* I: de *virtute* item & *vitâ beatâ*, I. *Eth.* IV. *VII. Polit:* I: de variis *principatus modis*, III. *Polit: IV:* deniq; de Sophistarum strophis, ut apparet ex verbis *Gellij* suprâ à nobis citatis, quarum consideratio ad *Dialecticam* pertinet πραγματείαν. Atq; hinc & problemata, de quibus ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς disseritur λόγοις, in *Physica, Ethica* & *Logica* dividuntur I. *Topic. XIV.* Et cùm eadem sit materia subjecta librorum, quæ sermonum exotericorum, in libris quoq; his res non solùm morales, sed naturales quoq; atq; Logicas verisimile est fuisse consideratas. Imò non verisimile solùm, sed planè verum, si credimus plerisq;. Egit enim in illis *Philosophus* v. gr. de *animâ*, ut in *Dialogo de animâ* ad *Eudemum Cyprium*, cujus mentionem faciunt *Auctores* supra citati, & præter hos

Cicero in I. de *divinit:* & *Plutarch:* in *vitâ Dionis*, nec non in *Consolat: ad Apollonium*. In iisdem egit & de *Philosophiâ*, item de *bono aliisq; adnexis*, ut in *tribus* de *Philosophiâ libris*, quos *Vellejus* citat apud *Ciceronem* de *Naturâ Deorum*, & *Laërtius* in *vitâ Aristotelis*, in quibus summatim complexus fuit ea, quæ in sermonibus *à Platone* acceperat, itemq; *Pythagoræ* dogmata nonnulla. *Simplicius Aristotelem* ipsum per τὰ περὶ φιλοσοφίας in 1. *de An: t.* XXVI. hos intelligere libros existimat in *Com:* cum ait: Περὶ φιλοσοφίας νῦν λέγει τὰ περὶ τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς Πλάτωνος ἀναγεγραμμένα συνουσίας. ἐν οἷς ἱστορεῖ τάς τε Πυθαγορείους, καὶ Πλατωνικὰς περὶ τῶν ὄντων δόξας, *De Philosophiâ nunc ea intelligit, quæ de bono ipso ex Platonis colloquiis memoriæ mãdavit, in quibus recenset Pythagoricas Platonicasq; de entibus opiniones.* Similia leguntur apud *Philoponum* in *Comm: ejusdem loci.* *Exotericos* autem fuisse libros hosce, vel ex solius *Ciceronis* verbis colligitur, quæ habentur in I. *de Natura Deorum.* Ait enim: *Aristoteles in tertio de Philosophiâ libro multa turbat: modò n. menti tribuit omnem divinitatem, modò mundum Deum esse dicit, modò quendam alium præficit mundo, eiq; eas partes tribuit, ut replicatione mundi quâdam motum regat atq; tueatur: tum cœli ardorem Deum dicit esse, non intelligens, cœlum esse mundi partem: quem alio loco ipse designarit Deum.* At in *acroamaticis* scriptis nihil turbat *Philosophus*, sed cuncta limatè & ordine decente pertractat. *Exotericis* igitur annumerandi erunt libri isti, quos sub titulo τῶν περὶ φιλοσοφίας *Tullius* citat. Quò & προβλήματα Aristotelis pertinent, quæ ἐγκύκλια antiquitus inscripta fuisse testatur *Gellius XX. Noct: Attic c. IV.* in quibus non de *moralibus* solùm agitur rebus, ut de metu & fortitudine, temperantiâ & intemperantiâ, justitiâ, prudentiâ, &c., veluti *sect.* XXVII. XXIIX. XXIX, XXX.

XXX: sed & de *naturalibus* quam plurimis v. gr. de ventis, nive, pruinâ, odoribus, saporibus, coloribus, & sexcentis aliis: imò & de rebus *Logicis*, quò referenda sunt ista problemata: *Διὰ τί οἱ ἐριστικοὶ λόγοι γυμναστικοί εἰσιν; cur in perorando homines magis gaudeant exemplis, quàm enthymematibus? cur in ἐριστικοῖς non sit ἀδολεσχία?* de quibus agitur *sect*: XIIX: *probl:* II, III, IIX. Et hâc de causâ *Alexander Aphrodisæus* super exotericis ita scribit: Ἐν οἷς πλεῖστα περὶ τῶν ἠθικῶν καὶ τῶν φυσικῶν (adde καὶ τῶν λογικῶν) ἐνδόξως λέγεται, in I. *Topic*: XIV. Ex quibus omnibus non malè videtur colligi, eandem fuisse *librorum Exotericorum & Acroamaticorum materiam subjectam* v. gr. actum fuisse in utrisq; de animâ, de summo bono &c: Quod & *Cicero* satis perspicuè indicat, cum ait, *Peripateticos de summo bono non semper idem dicere videri, quod duo de eo apud illos sint librorum genera, unum populariter scriptum & ἐξωτερικὸν, alterum limatius*, loco n. I. citato. Cum igitur ex *materia* vix (quadantenus enim & hîc discrimen deprehendi commodius infra, videlicet n. XXXI. significabimus) peti possit discrimen horum librorum, videamus, num ex fine fortassis queat. Quin enim ab hoc quoq; cùm sermonum, tùm librorum peti possit discrimen aliquod, dubium planè nullum est.

XXIIX. Finis est οὗ ἕνεκα, sive *id, cujus gratiâ* II. *Phys*. III. Et II *de An: IV*, t. 35. duplex statuitur, οὗ & ᾧ, *cujus* & *cui*. Ex quibus finis *cujus* dicitur id, cujus efficiendi aut acquirendi gratiâ aliquid est, aut fit: finis autem *cui* id, cui, vel in cujus gratiam efficitur, aut cui acquiri intenditur id, quod finis *cujus* nomine venit. τέλος, ait *Suidas*, καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, διττόν. τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ. Οἷον τῷ οἰκοδόμῳ τέλος ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα ποιῆσαι σκέπασμα κωλυτικὸν ὄμβρων καὶ καυμάτων. ᾧ δὲ, ἡμῖν. τὸ δὲ γὰρ σκέπασμα ἡμῖν ποιεῖ. ἐσμὲν γοῦν ἡμεῖς τῷ οἰκοδόμῳ τέλος τὸ

ὡς ᾧ, Finis & id cujus gratia est duplex, cujus, & cui. E. gr. ædificatori finis cujus quidem, est facere tectum, quod imbres & æstus arceat: at finis cui nos sumus, quippe in quorum commodum & usum tectum parat ædificator. Porrò actus medendi finis cujus est sanitas restituenda: at finis cui æger est, utpote cui sanitatem restituere vult Medicus. Duplex hic finis etiam in λόγοις conspicitur. E.g. Orationis *Rhetoricæ* finis *cujus* πίστις est, non διδασκαλικὴ scilicet, sed πιστικὴ, ut hæc distinguit *Plato* in *Gorgiâ*: at finis *cui* homo aptus ad deliberandum de iis, quæ conducunt ad benè vivendum. Huic enim oratione quippiam persvadere *Rhetor* laborat, *I. Rhet: II.* Similiter Orationis *Poëticæ* finis *cujus* est πίστις: finis *cui* autem vulgus hominum, quod rationum capax haud est, ne earum quidem, quibus deliberantes uti consveverunt, potest tamẽ fabulis, similitudinibus, rythmis, figuris & id genus aliis per imitationem adhibitis moveri. Hujus enim gratiâ inventa est *Poëtica*, quod rursus *Plato* testatur in *Gorgiâ*. Quod si nunc quis ea, quæ de λόγοις ἐξωτερικοῖς & ἀκροαματικοῖς suprà, inprimis n: XII. usq; ad XVII. dicta sunt, consideret, inveniet utrumq; eos agnoscere finẽ, sed utrinq; diversum. Et finem τῶν sermonum ἐξωτερικῶν quidem esse δόξαν, *acroamaticorum* autem *scientiam* in *Auditore* excitandam. Unde & *Acroamaticorum* librorum finis *cujus* erit *scientia*: *Exotericorum* autem *opinio* penes lectorem relinquenda. Quod concordat cum eo, quod *Arist:* in XIII. *Met:* I. ait, de *ideis esse quædam pervulgata in Exotericis* νόμου χάριν, id est, *opinionis* ergò. Etsi enim fortè de sermonibus illic ipsi sit sermo, tamen ex dictis intelligitur, eandem hactenus esse librorum, & sermonum rationem. Sed & hâc in re *Alexandrum* nobis habemus consentientem. Ait enim in loco n: *anteced:* citato, de rebus *Ethicis*

&

&*Physicis* πρὸς δόξαν, *ad opinionē accommodatè*, agi εἴτε τῇ διαλεκτικῇ πραγματείᾳ, καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς, καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς, *in Dialecticâ pariter & Rhetoricâ, nec non Exotericis.* Jam autem non parùm *scientia* differt ab *opinione*. Scientia enim (ut saltem unicum hoc discrimen nunc attingamus) animum hominis ἀμετάπτωτον &, ut *Plato* loqui solet, τετράγωνον, reddit, quasi *quadratum*, quia semper stat sciens, neq; ullo Sophisticarum rationū impetu dejici potest, sicut quadratū corpus, cubus, quomodocunq; jaciatur, ita cadit, ut permaneat rectum. Quâ de causâ & ἐπιστήμη *Græcis* dicta est scientia, videlicet ἀπὸ τῆς στάσεως, *à statione & quiete*, ὅτι ἵστησιν ἡμῶν ἐν τοῖς πράγμασι τὴν ψυχὴν, ἄλλοτε ἄλλως πρότερον φερομένην, *quoniam nostram in rebus sistit mentem, quæ prius aliàs aliter ferebatur, ut Clemens* loquitur in IV. *Stromat: Stoici* quoq; apud *Stobæum* in *Eclogis Ethicis* cap: IV. scientiam definiunt κατάληψιν ἀσφαλῆ καὶ ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου, *comprehensionem firmam & immutabilem ratione innixam*; item ἕξιν φαντασιῶν δεκτικὴν ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου, *habitum, phantasiarū receptivum, à ratione firmitatem eam habentē,* ut *non possit convelli*. Itāq; tribuunt sapienti suo, quē habere asserunt νοῦν τέλειον, ἄκραν φρόνησιν, ἀδόξαστον ἐπιστήμην, καὶ ἀμετάπτωτον ἕξιν, *mentem perfectam, prudentiam summam, scientiam opinione immunem, habitum mutationis expertem*, ut est apud *Plut:* de *Stoicorum paradoxis*. At *opinio est cognitio imbecilla*, tenuis &, ut *Aristoteles* ait in I. *Post:* XXXIII, ἀβέβαιος, *inconstans*, quæ hominem nutantem & fluctuantem reddit in cognoscendo; vel, si cum *Philopono* loqui placet, εὐκίνητον καὶ ἑτεροκίνητον, *facile ac diversimodè mobilē*. Quâ de causâ & *Plato* in *Menone opinionē* cum *statuis Dædali in aëre volitantibus ac fugacibus* comparat, *scientiam* autem *cum iisdē arctè ligatis*. Idemq; discrimen & *Pythagoras* videtur insinuasse, quan-

quan-

quando *intellectum unitatis*, *ſcientiam dualitatis*, *opinionem* autem *ternarii* rationem ſubire dixit. *Intellectus* namq; *unitati* ſimilis eſt, vel, quia quæ percipit, velut unum quid, conſvevit apprehendere, prout ſcilicet è pluribus particularibus experimentis univerſale efformat axioma, quod ſcientiæ principiũ eſt. II. *Poſt:* ult: vel, quia tantùm ad principia fertur VI. *Ethic* VI: *ſcientia verò dualitati*, quoniam à principiis & cauſis ad concluſionem ita fertur, ul alteram contradictionis partem determinatè attingat, excluſâ omni prorſus dubitatione. τὸ ἐπίςαϑαι enim eſt *cognoſcere cauſam, propter quã res eſt, ejus rei cauſam eſſe, neq; eam poſſe ſe aliter habere* I. *Poſt.* II. VI *Ethic:* III. *Opinio* deniq; *ternariũ* exhibet, quoniam per eam intellectus à principiis opinioni hominum conſentaneis ad concluſionis notitiam ita deducitur, ut alteri contradictionis parti inconcuſſo non adhæreat aſſenſu, ſed fluctuet & formidine prematur, ſitne forte altera potiùs pars vera. Conf: & *Alcinoum* lib: *de doctrinâ Platonis* cap. IV. Sed & locus Ocelli Lucani huc pertinet ex principio libri de Univerſo, ubi de ſe ipſo teſtatur, quod aliqua de naturâ univerſi aſſecutus fuerit τεκμηρίοις σαφέσι παρ᾽ ἀυτῆς τῆς φύσεως ἐκμαθὼν, *argumentis manifeſtis ab ipsâ naturâ edoctus:* alia verò δόξῃ μετὰ λόγου τὸ εἰκὸς ἀπὸ τῆς νοήσεως ςοχαζόμενος, *opinione cum ratione probabile cogitatione conjectans*. Tale igitur eſt diſcrimen inter finem Exotericorum, & acroamaticorum librorum.

XXIX. Nec contradicunt his, qui *Philoſophiam* aut *veritatem* aſſerunt finem cujus eſſe librorum acroamaticorum. *Philoſophia* enim nihil aliud eſt, quàm ſcientia veritatis, ut eſt in II. *Met:* I. Conf: *Platonem* in *Theage*. Quæ & cauſa eſt, quod ipſe Philoſophus ſermones acroamaticos λόγους κατὰ φιλοσοφίαν dicit in I. *Eud.* VII. *Veritas*

autem quando opinioni opponitur, apud *Aristotelem* idem est, quod scientia: ut adeò apud eum in hoc negotio ferè ἰσοδυναμοῦντα sint tria isthæc, scientia, veritas & Philosophia. Unde & passim ea permutat, sicut videre est ex collatione locorũ I. *Prior:* c. XXVII, 6. II. XVI, 8. 1. *Topic:* XIV, 7. I. *Post:* XIX, 4. Apud *Platonem* quoq; opponuntur sibi invicem δοξαστικὴ ἐπιστήμη καὶ ἀλήθεια, *opinatrix scientia & veritas*, in *Sophistâ*, sicut & apud *Proclum* in *Commentario*, quem in *Timæum Platonis* scripsit. Quæ tamen non ita accipienda sunt, quasi *omnis opinio falsa* sit, sicut *Xeniadem Corinthium* existimasse refert *Sextus Empiricus*. lib. VII. *adversus Dogmat. Aliter* n. *veritati opponitur* τὸ ψεῦδος, *falsũ: aliter* δόξα, *opinio*, quæ, quà talis, neq; vera, neq; falsa est, etsi quædã sit falsa, sicut Arist: in III. *Ethic: ad Nic: IV.* ait, *opinionẽ dividi* τῷ ψευδεῖ καὶ ἀληθεῖ, *falso & vero*. Indeq; & in VI. *Ethic:* III. itẽq; II. *Post:* ult: non eò opinionem à scientiâ sejungit, quod per scientiam semper verum, per opinionem semper falsum dicat intellectus noster, sed eò, quod per opinionem falsum dicere *possit* intellectus, per scientiã non item. Est itaq; *opinio* quædam vera, at ea propter ipsa veritas non est. *Veritati* enim nunquam subesse potest falsum: at *opinionem* nihil prohibet falsam esse: perinde ut *virtuti* nunquã accidere potest ἀταξία, at *affectui* potest, qui & τάξεως, sive *ordinis*, & ἀταξίας capax est, atq; ideò ad utrumvis oppositũ indifferenter se habet. Paucis, ipsa veritas cum certitudine juncta est, & omnẽ planè excludit dubitationẽ, sive, ut *Augustinus* ait, *falsitatem nunquam patitur* Lib. LXXXIII. *Qq. Quæst:* I. Quod & usitatus loquendi modus confirmat. Dicẽtes enim, hæc ipsa veritas est, nihil aliud innuimus, quã hoc, id, quod dicimus, usq; adeò verũ esse, ut nihil prorsus ei subsit falsi, neq; fieri possit, ut si quis assensũ præbeat, eo ipso decipiatur.

Opinio autem dubitationem, ut vidimus, non excludit. Atq; hinc & *Alexander in* 1. Topic: distinguit inter ἀληθῶς ἀληθῆ & δοξαστικῶς ἀληθῆ, uc hâc in parte sequuntur & alii inter Philosophos Græcos. Deniq; & Plato hinc rursum in Symposio τὰ ὀρθὰ δοξάζειν ait idem esse, quod ἄνευ τοῦ λόγου ἔχειν δοῦναι, *veri absq; certâ ratione participem esse.* A quibus non abit *Theodoretus* II. de *curandis Græcorum affectionibus*, distinguens inter στοχασμὸν & ἀλήθειαν, & addens: ὁ μὲν στοχασμὸς καὶ διαμαρτίας ἔχει πολλάς. ἡ δὲ ἀλήθεια ἐκπαιδεύειν οὐδὲν ἐναντίον ἀνέχεται, *Conjectura quidem plurimis aberrat in rebus: veritas autem ita docet, ut contrarii nihil admittat.* Et diu ante ipsum *Clemens Alexandr.* I. *Strom:* ἕτερον στοχασμὸς ἀληθείας, ἕτερον ἡ ἀλήθεια. ἄλλο αὐτὸ ὄν, *Aliud conjectura veritatis est, aliud veritas: aliud similitudo, aliud idipsum, quod est.* Sed misso fine τῶν librorum Exotericorum & Acroamaticorum, spectemus nunc & finem τῶν eorundem.

XXX. Ex iisdem, quæ à n. XII. ad XVII. dicta sunt, quivis facilè advertit, finem τῶν sermonum ἀκροαματικῶν esse *genuinos & domesticos scientiarum auditores*, quos *Aristot:* ἀκροατὰς οἰκείους, item πεπαιδευμένους vocat in I. *Ethic:* c. I. Qui quidem soli exquisitæ istius cognitionis, qualis scientia est, capaces sunt. Unde & soli ad sermonum ἀκροαματικῶν auditiones admittebantur, cùm ab aliis sapientibus, tùm ab Aristotele ipso. Sermonum autem ἐξωτερικῶν finem τῶν esse *quemlibet promiscuè etiam de vulgo & extraneis, qui accuratioris & secretioris doctrinæ neutiquam sunt capaces.* Idem igitur de fine τῶν librorum exotericorum & acroamaticorum judicandum est, ut dicamus similiter, *Exotericos* quidem scriptos esse ad communem etiam eorum, qui exquisitam scientiam non quærunt, usum: *Acroamaticos* autem ad usum solùm πεπαιδευμένων, hoc

est,

est, *domesticorum secretioris Philosophiæ auditorum, quos &* ἀκροατὰς ἁπλῶς καὶ κατ᾽ ἐξοχὴν Græcis dici annotavimus suprà. Confirmat id calculo suo non solùm *Ammonius Hermias* in Proleg: ad lib: Categ: cum ait, quædam Aristotelis scripta dicta fuisse ἀκροαματικὰ, διὰ τὸ πρὸς γνησίους ἀκροατὰς ποιεῖσθαι τὸν λόγον, quod *in illis sermonem faciat ad genuinos & domesticos Auditores*: quædam ἐξωτερικὰ, διὰ τὸ πρὸς τὴν τῶν πολλῶν γεγράφθαι ὠφέλειαν, *quod ad multorum utilitatem ea scripserit*: sed & *Philoponus*, hujus auditor, in *Comm:* quem scripsit in *lib: III. de animâ*, ubi docet, quinam apud *Aristotelem* sint οἱ ἐν κοινῷ λόγοι. Λέγει δὲ, inquit, ἂν τὰς ἀγράφους αὐτοῦ συνουσίας πρὸς τοὺς ἑτέρους, ἢ τὰ ἐξωτερικὰ συγγράμματα, ὧν εἰσι καὶ διάλογοι, ὡς ὁ εὔδημος. ἅπερ διὰ τοῦτο ἐξωτερικὰ κέκληται, ὅτι οὐ πρὸς τοὺς γνησίους ἀκροατὰς ἐγράφη, ἀλλ᾽ εἰς τὴν κοινὴν καὶ τὴν τῶν πολλῶν ὠφέλειαν, Id est, τοὺς ἐν κοινῷ λεγομένους λόγους *vocat vel non scripta colloquia sua cũ sociis, vel exotericos libros, ex quibus Dialogi sunt, ut Eudemus. Qui ideò exoterici dicti sunt, quod non sunt scri ad genuinos auditores, sed ad communem & vulgi utilitatem*. Sed audiamus etiam *Eustratium*, inter Græcos Philosophi Interpretes ætate quidem postremum, eruditione non item. Is exponens locum ex I. Ethic: quo nominantur οἱ ἐξωτερικοὶ λόγοι, observat, librorum *Aristotelis* duo fuisse genera, unum *acroamaticorum*, alterum *exotericorum*, & mox utrumque genus his describit verbis: Ἐκεῖνα μὲν ἀκροαματικὰ ὀνομαζόμενά ἐστιν, ἐπεὶ πρὸς τοὺς κοινῶς ἀκροωμένους γεγένηνται. ταῦτα δὲ, ἐξωτερικὰ, διότι τούτων ἕκαστον πρός τινα ζητήσαντα γέγραπται ἔξω τῆς κοινῆς ἀκροάσεως, *Illa quidem scripta acroamatica dicta sunt, quoniam ad eos, qui in communi eum audiebant, directa sunt. Hæc verò exoterica, quoniam unumquodque eorum conscriptum est ad quempiam, qui*

 aliquid

aliquid quæsivit extra communem auditionem. Hactenus etiam *Eustratius.* Qui in eo quidem diffidet à reliquis, quod isti *Exotericos* libros eò dici arbitrentur, quod ad multorum utilitatem ab auctore scripti atq; editi fuerint: hic verò, quoniam ad aliquem unum, qui inter discipulos non numeraretur, miserit eos. In hoc tamen consentit cum iis, quod libri isti in usum τῶν ἔξω τῆς κοινῆς ἀκροάσεως h: e. eorum, qui inter genuinos & domesticos auditores *Philosophiæ* non numerabantur, fuerint scripti.

XXXI. Et huc sine dubio respexit etiam *Galenus*, quando in lib. *de subst: facult: natur:* dicit, *Aristotelem* alia quidem τοῖς πολλοῖς, alia autem, ἀκροάσει scilicet, τοῖς ἑταίροις, *discipulis* puta *familiaribus* scripsisse, ut vidimus n: X. Quoniam autem illi non tàm in rerum naturalium ac divinarum, quàm moralium & Politicarum meditatione versantur, verisimile est, *Aristotelem* sese in eo quoq; accommodasse iis, & cùm in λόγοις, tùm in libris exotericis, *præcipuè* de his rebus egisse, quanquàm neq; illas prorsus prætermiserit, ceu patet ex iis, quæ dicta nobis sunt n. XXVII. Inde nullibi magis τῶν ἐξωτερικῶν λόγων meminit, quàm in *Ethicis* & *Politicis*, rarò in aliis scriptis, ut apparet inspicientibus loca n: V. adducta, in quibus ἐξωτερικοὺς nominat λόγους. Et hoc fortassis *Gellium* movit, ut *c. l.* scriberet, ἐξωτερικὰ *Aristoteli* dicta fuisse, quæ *ad rerum civilium notitiam, facultatem argutiarum & Rhetoricas meditationes* (quæ Politico omninò conveniunt, ut cui sæpè publicè verba faciẽda & plebis animus oratione demulcendus ac permovendus) *conducebãt.* Ακροαματικὰ *autem, in quibus Philosophia remotior subtiliorq; agitabatur, quæq; ad naturæ contemplationes, disceptationesve Dialecticas*, quippe magis ad γνῶσιν, quàm πρᾶξιν conducentes, *pertinebant.* Gellio consonat &

Plu-

Plutarchus, τὸν ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν λόγον contradiſtinguens ταῖς ἀπορρήτοις καὶ βαρυτέροις διδασκαλίαις, quæ ἰδίως ἀκροαματικαὶ καὶ ἐποπτικαὶ dicantur, & in quibus ea præcipuè, quæ ad τὰ μετὰ τὰ φυσικά pertinent, pertractentur. Quorum inprimis, & rerum naturalium cognitio φιλόσοφον facit, adeò ut eos ſolos, qui hiſce rebus ſtudent, *Philoſophorum* nomine quidam fuerint dignati. Quò pertinent illa *Ariſtotelis* in VII. *Polit:* II: *Ambigitur ab iis ipſis, qui concedunt vitam cum virtute conjunctam eſſe maximè expetendam*, πότερον ὁ πολιτικὸς καὶ πρακτικὸς βίος αἱρετὸς, ἢ μᾶλλον ὁ πάντων ἐκτὸς ἀπολελυμένος, οἷον θεωρητικός τίς, ὃν μόνον τινές φασι εἶναι φιλόσοφον, *utrum vita civilis & ad agendum expedita, ſit optabilis & ſeligenda, an ea potius, quæ ab omnibus rebus externis ſegregata eſt ac ſoluta, verbi causâ, ea, quæ in contemplatione & cognitione rerum conſumitur, quam ſolam quidam Philoſopho dicunt eſſe dignam.* Verùm de iſtâ *Gellii* & *Plutarchi* ſententiâ inferiùs plura. Nunc aliud diſcrimen librorum Exotericorum & Acroamaticorum aggredimur explicare, quod à modo conſiderandi petitum eſt, & à plerisq; Interpretibus eſt annotatum.

XXXII. Id ut intelligatur, noſſe oportet, quod res aliqua duobus conſiderari poſſit modis, nēpe I. φυσικῶς, ut ſert φύσις ſ. *natura ejus*, cum pertractatur ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, ut *Philoſophus* loqui ſolet, hoc eſt, *ex principiis ſuis & cauſis propriis*, & λεπτομερῶς id eſt, non *ſecundum communem quādam rationem*, ſed ἀκριβῶς, h. e. *accuratè*, quoad cuncta, quæ ei inſunt, ut nihil intactum relinquatur. Id enim Græcis ἀκριβὲς eſt, quod Latinis *exquiſitum*, ut apud *Platonem in Gorgiâ*, μὴ προθυμεῖσθαι εἰς τὴν ἀκρίβειαν φιλοσοφεῖν, ne *animi propenſione deferrētur ad accuratum & exquiſitum*

Philoſo-

Philosophandi studium. Et in *Protagorâ*: Καὶ μή τι σὲ τὸ ἀκριβὲς τοῦτο εἶδος τῶν διαλόγων ζητεῖν, τὸ καταβραχυλογίαν, *exquisitissimum Dialogorum modum dicit eximiam brevitatem*. II. λογικῶς, quod & διαλεκτικῶς dicitur, si ex *communibus* quibusdam & *endoxis*, i.e., ex iis, quæ consentanea sunt opinionibus hominum & videntur vel omnibus, vel plurimis, vel præstantissimis &c: I. Top: I, 7. & παχυλῶς, ut Eustratius loquitur in 1. Ethic: vel, ut *Philoponus* in I. *Meteor*: I. ἐπιπολῆς: aut deniq; ut Aristoteles ipse, ὡς τύπῳ, *secundum communem quandam rationem & rudi Minervâ* tractetur. Τύπος enim propriè non est forma ipsa, unde simulacra ducuntur, ut videtur *Budæo*; sed rudis quædam & inchoata futuri operis designatio, qualis spectatur in plastarum, fusorum, similiumq; artificum operibus, ut diximus n: XXVI. Hinc autem in Philosophiam postea translata vox est, ubi tùm adhibetur, cum *accurata* illa & *limata sublimitas*, quæ ad perfectam scientiam requiritur, abesse & rei *summa* tantum *capita* attingi significatur. Quo sensu voce sæpissimè utitur *Aristoteles*, ut in I. Top: I, §. 10. VI, 3. XIV, 6. I. *Eth.c*: I. & VII, II. Theophrastus quoq; lib: III. Hist: plant: eodem sensu hanc vocem usurpat. ὡς τύπῳ enim & ἁπλῶς εἰπεῖν conjungit ac pro iisdem ponit. Est autem ipsi utrumq; nihil aliud, quàm summatim dicere, aut rudi seu pingvi Minervâ. Sed & alii Scriptores passim hoc sensu vocem usurpant. Veluti Plato lib: III de Republ: ubi ἐν τύπῳ & δι' ἀκριβείας sibi mutuò opponit. Item lib: IIX, ubi hæc occurrunt: ἵνα τύπῳ λάβωμεν αὐτάς. Porrò & Plutarchus in initio libelli de Herodoti malignitate, qvum ita scribit: Δοκεῖ δέ μοι βέλτιον εἶναι τύπῳ τινὶ λαβόντας, ὅσα κοινῇ καθαρᾶς μηδ' εὐμενοῦς ἐστιν ἀλλὰ κακοήθους, οἷον ἴχνη καὶ γνωρίσματα διηγήσεως, εἰς ταῦτα τῶν ἐξεταζομένων ἕκαστον ἂν

ἐναρ-

ἐναρμότῃ τίθεσθαι, *Videtur commodum fore, ut rudi Minervâ delineemus, quæ communiter non puræ aut benevolæ, sed malignæ narrationis qvasi vestigia & notæ sunt: deinde singula eorum, quæ examinabimus, eò, quo pertinent, collocaturi.* Aliàs tractatio talis vocatur ὁλοσχερής. Etsi namqve aliquando, τὸ ὁλοσχερῶς, contrario significatu usurpetur, ut idem notet, qvod ἀκριβῶς & λεπτομερῶς, inprimis apud *Dioscoride*, lib. V. c. LXXXII. ubi ὁλοσχερῶς συνθλάσαι pro eo ponitur, quod, est *penitus contundere*, ut *Marcell. Virgil.* vertit; sive, ut idem cap. XCII. εἰς ὁλοσχερέστατα μέρη θλάσαι, *in minutissimas partes confringere*, ut ὁλοσχερέστατα μέρη sint, quæ idem alibi λεπτομερέστατα vocat: quò sine dubio respexit etiam Hesychius, quando ὁλοσχερῶς idem esse ait, quod, τελείως, *perfectè*. Item Suidas, ὁλοσχερῶς idem significare docens, quod, ὁλοτελῶς, *planè*, *integrè*, *omnibus numeris absolutè*. Tamen frequentius apud alios ὁλοσχερὲς καὶ λεπτομερές, quod cum τῷ ἀκριβὲς ejusdem valoris est, opponuntur, ut apud *Clementem Alexandrinum in VII. Strom.* in fine, ubi hæc leguntur: Ἀκάθαρτα κἀκεῖνα, ὅσα διχηλεῖ μὲν, μηρυκισμὸν δὲ οὐκ ἀνάγει τοὺς αἱρετικοὺς ἐνδείκνυται, ὀνόματι μὲν πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐπιβεβηκότας. Τὴν δὲ τῶν λογίων ἀκριβῆ σαφήνειαν λεπτουργεῖν καὶ καταλεαίνειν ἐξασθενοῦντας, πρὸς δὲ, καὶ τὰ ἔργα τῆς δικαιοσύνης ὁλοσχερέστερον, οὐχὶ δὲ ἀκριβέστερον μετερχομένους, *Immunda illa animalia, quæ bifidas habent ungulas, non autem ruminant, significant hæreticos, qui ingrediuntur quidem in nomine Patris & Filii, accuratam autem eloquiorum declarationem subtiliter exprimere & in tenues partes conterere neqveunt, & justitiæ opera paulò crassiùs, non autem accuratiùs & subtiliùs obeunt.* Quo loco τὸ ἀκριβέστερον καὶ ὁλοσχερέστερον apertè opponuntur: τὸ ἀκριβοῦν autem καὶ τὸ λεπτουργεῖν velut ἰσοδυναμοῦντα ponuntur. Cujus simile occurrit etiam apud Galenum lib. 8.

de decretis Hippocratis & Platonis cap. 6, ubi ita ſcribit: Ὅσον τις ἀκριβέστερόν τι καὶ λεπτομερέστερον ἡντινοῦν φύσιν πραγμάτων ἐξεργάζεται, τοσούτῳ πλειόνων ὀνομάτων αὐτῷ γίγνεται χρεία, *Quantò quis exactius, ſubtiliusq́, rerum naturam conatur explicare, tantò plura nomina inveniat neceſſe eſt.* Ideò *Clementi* cognitio ὁλοσχερὴς eſt cognitio ſummaria & tenuis, quâ *craſsè*, *generatim* & *conſusè* res apprehenditur. Cognitio ἀκριβὴς enim, quæ iſti opponitur, & alio nomine λεπτουργία *Clementi* dicitur, ea eſt, quæ rem *articulatè* ſecundum ſingula, minutiora etiam, aſſeqvitur. Apud *Sext. Empiricum* qvoqve in *I. Pyrrh. Hyp. XIII.* ὡς ἂν ὁλοσχερέστερον εἰπεῖν ſimiliter idem eſt, quod *generalius & minus diſtinctè* loqui. Apud *Polybium* autem in II. Hiſt. τὸ ὁλοσχερῶς τῷ κατὰ μέρος opponitur. Sic namq; ibi: Ποτὲ μὲν κατὰ μέρη, ποτὲ δὲ ὁλοσχερῶς συμπιπτόντων. Sed & pertinet huc locus Epicuri ex Epiſtolâ ad Herodotum apud Diogenem Laërtium lib. X. in vitâ ejus: *Qui ſingula quaq́, Herodote, à nobis de naturâ perſcripta, neqve ſubtilius, exquirere,* ἐξακριβοῦν, *neq́ longiores à nobis compoſitos libros perlegere poſſunt, his ego epitomen quandam totius tractationis paratam eſſe volui,* εἰς τὸ κατασχεῖν τῶν ὁλοσχερωτάτων δόξων τὴν μνήμην, *ad memoriam dogmatum rudi Minervâ propoſitorum retinendam.* Et paucis interjectis: Καὶ δὴ καὶ τὸ κατὰ μέρος ἀκρίβωμα πᾶν ἐξευρήσεται, τῶν ὁλοσχερωτάτων τύπων εὐπεριλημμένων καὶ μνημονευομένων, *Ita quoq́ ſingularum rerum perfecta cognitio tantò facilius comprehendetur, ſi primum forma generaliter vel confusè fuerint comprehenſa, atque memoriâ retenta.* Apud M. Antoninum quoque libris de notitia ſui paſſim eâdem ſignificatione adhibita vox, ὁλοσχερῶς, occurrit,

currit, veluti lib. I. non multum ab initio, ubi τὸ ὁλοσχερῶς ἀναγινώσκειν opponitur τῷ ἀκριβῶς ἀναγινώσκειν. nihilqve aliud eſt, quàm *ſummariâ ratione quid ſtatuere vel decernere*. Iſta qvoq; ex lib. V: Μὴ ὁλοσχερῶς τῇ Φαντασίᾳ συναρπάζεσθαι, hunc pariunt ſenſum: *Ne imaginatione temerè abripiaris*, re ſcilicet non accuratè ſatis perpenſa. Deniqve & lib. IX, itidem non procul ab initio, μὴ ὁλοσχερῶς idem eſt, quod, *non perfunctoriè*, ſive *non craſſâ Minervâ*.

XXXIII. Duplicem iſtum modum conſiderandi, qvem num: *praced.* delineavimus, inſinuaſſe videtur & *Plato* in *Theateto*, ubi *Protagoram* ita loqventem introducit: ἀπόδειξιν δὲ καὶ ἀνάγκην οὐδ' ἡντινοῦν λέγετε. ἀλλὰ τῷ εἰκότι χρῆσθε. ᾧ εἰ ἐθέλοι Θεόδωρος, ἢ ἄλλος τις τῶν γεωμετρῶν χρώμενος γεωμετρεῖν, ἄξιος οὐδ' ἑνὸς μόνου ἂν εἴη, *Demonſtrationem neceſſitatemq́ ne ullum afferatis, ſed veriſimili tantum utimini ratione: quâ ſi vellet Theodorus, aut quivis alius Geometra in diſputationibus Geometricis uti, nullius prorſus pretii aſtimaretur.* Diſtinguit enim ibi *tractationem*, quæ τῷ εἰκότι utitur, ab eâ, quæ ἀνάγκην habet, qualis eſt, quæ ex veris principiis proficiſcitur & propriis cauſis. *Clarius* hâc de re loqvitur in *Timao*, ita ſcribens; *Rationes utiq́ cum his rebus, quas exprimunt, cognationem quandam habere videntur. Ergò cum de re ſtabili ac firmâ & mente comprehendendâ*, μετὰ νοῦ καταφανοῦς, *ſermo eſt, ſtabiles ſimiliter immutabilesq́ & quam maximè fieri poteſt, inexpugnabiles rationes eſſe oportet*, καθ' ὅσον, ἀνελέγκτοις προσήκει λόγοις καὶ ἀκινήτοις. *Cum verò de ipſius rei firma ſtabilisque ſimulacro diſputatur, veriſimiles rationes*, εἰκότες, *ſufficiunt, qua ita ſe ad ſuperiores rationes habent,*

ut ſimulacrum ad exemplum. Nempe quod ad generationem eſt eſſentia, id ad fidem, πίστιν, eſt veritas. Cum ergò multa de Diis mundiq; generatione à multis dicta ſint, ne mireris obſecro, ſi rationes de iis probatisſimas exactisſimasq;, λόγους ὁμολογουμένους καὶ ἀπηκριβωμένους, afferre non posſim. Satis enim factum putare debebis, ſi non minus probabiles, εἰκότας, quàm quivis alius, attulerim rationes. Ariſtoteles autem utriusq; modi conſiderandi pluribus in locis mentionem facit. Operæ pretium erit unum atq; alterum conſiderare, ut iis, quæ dicta ſunt, majus accedat lumen. *Primo* igitur *Topic. cap. XIV.* cum *propoſitionum & problematum* tria genera conſtituiſſet, ſubjungit, de iis & πρὸς φιλοσοφίαν agi poſſe, & διαλεκτικῶς ſeu λογικῶς, hoc eſt, ut *Alexander* exponit in *Comm.* ἐνδόξως, ſeu ex *iis, quæ ſunt conſentanea hominum opinionibus.* Ut enim ejus, quod verum eſt, menſura res ipſa eſt: ita τὰ ἔνδοξα æſtimantur opinionibus hominum, quas de rebus animo comprehenſas tenent. Τῶν ἐνδόξων, ait *Alexander* in 1. *Topic.* 1, ἐπίκρισις οὐκ ἀπὸ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀκουόντων, καὶ τῶν τούτων ὑπολήψεων, ἃς ἔχουσι περὶ πραγμάτων, *Judicium de eo, quod* ἔνδοξον eſt, *non à rebus ipſis deſumitur, ſed ab auditoribus & opinionibus, quas illi habent de rebus.* Inde & δοκοῦντα alias dicuntur τὰ ἔνδοξα, item λεγόμενα, εἰωθότα &c. Expoſitionem *Alexandri* ſequitur *Boëthius* in exponendâ ſimili voce, videlicet, λογικώτερον, quâ *Porphyrius* utitur in *Iſag. cap. I. §. IV*, cum præmonet, ſe de generibus, & ſpeciebus, & reliquis κατηγορουμένοις λογικώτερον diſputaturum. Ita namq; in illum locum *Boëthius: Λογικώτερον ſeu probabiliter, ait Porphyrius,* id eſt, *veriſimiliter, quod Græci λογικῶς vel ἐνδόξως dicunt. Sæpè enim & apud Ariſtotelem λογικῶς veriſimiliter ac probabili-*

babiliter dictum invenimus, & apud Alexandrum. Porphyrius quoque ipse in multis hâc significatione hoc verbo usus est. Hactenus *Boëthius Commentariorum in Porphyr. à se translatum* lib. 1. in fin.

XXXIV. Deinde discrimen inter duplicem istum considerandi modum tangit *Philosophus* & *I. Post. XIX.* §. 4. & quidem his verbis: Κατὰ μὲν οὖν δόξαν συλλογιζομένοις καὶ μόνον διαλεκτικῶς, δῆλον, ὅτι τοῦτο μόνον σκεπτέον, εἰ ἐξ ὧν ἐνδέχεται ἐνδοξοτάτων γίνεται ὁ συλλογισμός, πρὸς δ᾽ ἀλήθειαν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων δεῖ σκοπεῖν, *Atque iis quidem, qui conclusiones suas ad opinionem dirigunt, & Dialecticè solum disputant, illud saltem videndum est, ut sint quàm maximè consentanea hominum opinionibus, ex quibus extruitur syllogismus. At iis, qui ad veritatem tendunt, spectandum est, ut ex iis fiat syllogismus, quæ rebus insunt.* In quem l. cum ita commentatur *Themistius* in Παραφρ: τῷ μὲν ἀποδεικτικῷ τὰ καθ᾽ αὑτὰ κατηγορούμενα παραληπτέον, τῷ διαλεκτικῷ δὲ οὐ πάντως, ἀλλ᾽ ἐνίοτε καὶ κατὰ συμβεβηκός, ὅταν ἔνδοξα ᾖ καὶ γνωριμώτερα τῶν καθ᾽ αὑτὰ ὑπαρχόντων, *Demonstranti quidem ea, quæ per se insunt, ut ex iis concludat, accipienda sunt: Dialectico autem non, nisi fortè per accidens eveniat, ut* ἔνδοξα *sint, quæ per se insunt.* Itaque per se, διαλεκτικῶς inferens ἐξ ἐνδόξων, ἀναλυτικῶς autem vel ἀποδεικτικῶς ἐκ τῶν καθ᾽ αὑτὰ ὑπαρχόντων concludit. Quod congruit per omnia cum iis, quæ in istum locum annotat *Philoponus*: ὁ διαλεκτικὸς συλλογισμὸς τὸ δοκοῦν λαμβάνει ὡς τὸ ἀναγκαῖον, ὁ δὲ ἀποδεικτικὸς οὐ δοκοῦν τὸ ἀναγκαῖον, ἀλλὰ τὸ φύσει ἀναγκαῖον, *Dialecticus syllogismus id, quod videtur, accipit ut necessarium. Demonstrativus autem non id, quod videtur necessarium, sed quod naturâ est necessarium.* Hoc verò per se inest, *I. Post. VI,*

§. 1. Est & *alius* in Posterioribus Analyticis locus, in qvo duplicis considerandi modi meminit, nempe I. eorum *c. XXXII*, ubi disputat de statu scientiarum. Ita enim illic §. XXII. scribit: λογικῶς μὲν οὖν ἐκ τούτων ἄν τις πιστεύσειεν περὶ τοῦ λεχθέντος. Αναλυτικῶς δὲ διὰ τῶνδε, *Logicè quidem consideranti hac argumenta fidem facere possunt, id ita esse, quod dico*, nempe quod in affirmationibus in scientiis stetur. Ducta autem erant argumenta ista ex communibus qvibusdam principiis, quæ in Dialecticis traduntur. *Analyticè* autem *si hac spectentur, ex talibus*, nempe ex iis, quæ per se insunt affirmationibus, quæ ingrediuntur demonstrationes. Analyticus enim ex propriis concludit: At Dialecticus ex communibus. Hinc argumenta ex talibus ducta λογικὰ & διαλεκτικὰ dicuntur. Λογικὰ ἐπιχειρήματα λέγει τὰ ἐξ ἀληθῶν μὲν προτάσεων καὶ ἀληθῆ, οὐ μὴν τὰ ἀποδεικτικὰ, ἀλλὰ κοινότερα δυνάμενα πλείοσιν ἐφαρμόσαι, ait *Ammonius* apud *Philoponum in Comm: Logica epicheremata vocat illa, qua ex veris quidem sunt propositionibus & vera, ast non demonstrativa, sed communiora & talia, qua pluribus valeant aptari.* Dialectica enim facultas communis est, neq; definitum habet subjectum, ut passim docet Aristoteles, veluti I. Rhet: II. 1. Post: XI. §. 6. I. Phys. II. & alibi.

XXXIV. Cæterùm non in Posterioribus Analyticis solùm, sed & in aliis libris duplicis istius considerandi modi mentionem facit. Non adducemus nunc omnia loca, sed duo solùm ex *Physicis*. Qvorum *primus* occurrit III. eorundem c. VII. atqve ita habet: Λογικῶς μὲν οὖν σκοπουμένοις ἐκ τῶν τοιῶνδε δόξειεν ἂν οὐκ εἶναι σῶμα ἄπειρον. Φυσικῶς δὲ μᾶλλον θεωροῦσι, *Logicè igitur considerantibus ex his talibus*, qualis est definitio corporis, *corpus non vi-*

detur esse infinitum: Physicè verò magis rem intuentibus ex hisce. Ubi λογικῶς idem significat, quod, πιθανῶς, vel, ἐξ ἐνδόξων, ut *Philoponus* exponit in *Comm.* his verbis: Λογικὰ γὰρ ἐπιχειρήματα οὐκ ἔστιν ἀναγκαστικὰ, ἀλλ᾽ ἐξ ἐνδόξων, *Logica epicheremata non sunt ea, quâ necessariam stringendi vim habent, sed talia, quæ ex probabilibus ducuntur.* Vel, ut idem *Philoponus*: Λογικῶς, dixit, ἀντὶ τοῦ κοινοτέρως, *pro, communius.* Ἐφαρμόσει γὰρ, addit, ἡ δεῖξις αὕτη οὐ μόνον ἐπὶ τῶν φυσικῶν σωμάτων, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν μαθηματικῶν, *Congruit enim demonstratio ista* (Logica, ducta ex definitione corporis) *non solùm naturalibus, sed & Mathematicis corporibus.* Nec aliter exponit *Simplicius.* Sic enim ille in istum locum scribit: πρῶτον μὲν λογικῶς ἐπιχειρεῖ, τουτέστι, πιθανῶς καὶ ἐνδόξως, καὶ ἔτι κοινότερον πως καὶ διαλεκτικώτερον. ἡ γὰρ διαλεκτικὴ ἡ Ἀριστοτέλους, κοινή ἐστι μέθοδος περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων· τὸ γὰρ λογικὸν ὡς κοινὸν ἀντιδιαστέλλειν εἴωθε τῷ οἰκείῳ καὶ κατὰ φύσιν τοῦ πράγματος καὶ ἀποδεικτικῷ, *Logicè primum probat, hoc est, ex verisimilibus & consentaneis opinionibus hominum. Item communiùs & magis Dialecticè. Dialectica enim Aristotelis est communis methodus* (concludens) *de omni proposito problemate ex endoxis. Et Logicum velut commune consuevit distinguere contra proprium & id, quod est secundùm naturam rei, & demonstrationem.* Quod repetit idem *Simplicius Comm.* in 1. de *Animâ* c. 1, cum ait: Τὴν ἐπιπολαιοτέραν, καὶ οὐ πραγματώδη γνῶσιν λογικὴν καὶ διαλεκτικὴν εἴωθε προσαγορεύειν, ὡς δοξαστικὴν καὶ οὐκ ἐπιστημονικήν, *Superficiariam & non accuratam ac intimiorem cognitionem Logicam & Dialecticum appellare consuevit, veluti eam, quæ opinionem subinfert, non scientiam.*

Ita

ita igitur τὸ λογικῶς exponit *Simplicius*, ut per omnia consentiat *Philopono*. Φυσικῶς autem similiter interpretatur per, ἀποδεικτικῶς, quasi Φυσικῶς considerare sit, considerare *rem demonstrativè, ex propriâ ejus naturâ, seu principiis propriis*. Sic enim ille rursum ad verba ista, Φυσικῶς δὲ μᾶλλον: οὐχὶ λογικῶς καὶ κοινῶς, ἀλλ' ἀποδεικτικῶς μᾶλλον καὶ τοῖς προκειμένοις οἰκεῖα δείκνυσι γὰρ διά τι τῆς οὐσίας αὐτῶν, εἰ μή τι σύνθετον, μή τι ἁπλοῦν δύναται εἶναι τὸ ἄπειρον. καὶ διὰ τῶν δυναμένων, ἃς ἔχει τὰ Φυσικὰ, Φυσικῶς κινούμενα. καὶ διὰ τῶν τόπων ἐν οἷς μένειν ἢ εἰς οὓς κινεῖσθαι πεφύκασι, *Non Logicè aut communiter, sed demonstrative magis & rebus propositis accommodatè. Demonstrant enim per aliquid, quod ad essentiam ipsorum pertinet, neque compositum, neq; simplex esse infinitum, & per facultates, quibus gaudent ea, quæ naturaliter moventur, & per loca, in quibus manere apta sunt, aut ad illa moveri*. Alter locus est in *IIX. Phys. IIX, (12.)* in quo hæc leguntur: Οἷς μὲν οὖν ἄν τις, ὡς οἰκείοις λόγοις πιστεύσειεν, οὗτοι τινές εἰσι. Λογικῶς δὲ ἐπισκοποῦσι κἂν ἐκ τῶνδε δόξειε τῷ ταὐτὸ τοῦτο συμβαίνειν, *Hæ igitur talesve quædam sunt rationes, ex quibus, ut propriis quibusdam, credat quis, motum rectum perpetuò continuari non posse. Hoc idem insuper ita se habere videbitur, si & λογικῶς consideraverimus*. In quem locum quæ *Simplicius* notat, iterum digna sunt, quæ hic legantur. Οἰκείους λόγους, inquit, λέγει τοὺς ἐκ τῶν οἰκείων τῷ προκειμένῳ γινομένους συλλογισμοὺς, οὓς καὶ ἀποδεικτικοὺς ἔθος αὐτῷ καλεῖν. Λογικοὶ δέ εἰσι συλλογισμοὶ, οἱ μὴ διὰ τῶν οἰκείων καὶ προσεχῶν τῷ προκειμένῳ γινόμενοι, ὥσπερ οἱ πρότεροι, ἀλλὰ διὰ κοινοτέρων καὶ καθολικωτέρων καὶ δυναμένων καὶ ἄλλοις ἐφαρμόζειν, οὓς ἔθος αὐτῷ διαλεκτικοὺς καλεῖν, ὡς δι' ἐνδόξων γινομένους ἐπιχειρήσεων, Οἰκείους λόγους *dicit syllogismos, qui non*

con-

conficiuntur ex iis, quæ propria & proxima sunt proposita rei, ut priores, sed per comuniora & universaliora concludunt, quæ possunt & aliis congruere, quos aliàs Dialecticos syllogismos vocare solet, quippe ex iis, quæ consentanea sunt opinionibus hominum, exstructos. Arist. eodem sensu λογικὰς ἀποδείξεις dicit in XII. *Met. I.* Galenus illas vocat *Dialecticas* & *Oratorias* rationes, atq; ab iis, quæ scientiam progignunt, eas distingvit, quod hæ referantur ad *rei*, de quâ agitur, ὀυσίαν: istæ autem petantur ἐκ τῶν ἔξωθεν, lib. 2. de decretis Hippocratis & Platonis c. 3. *ex iis, quæ sunt extranea illi.*

XXXV. Ex his & similibus aliis *Aristotelis* locis petita sunt, quæ de duplici modo considerandi passim cùm apud Interpretes ejus, tùm apud alios probatos auctores reperiuntur. Ut apud *Ammonium Comm.* in Isag. *Porphyrii*, ubi expressè utriusq; modi meminit, qvanqvam his tertium jungat, quo res consideratur Θεολογικῶς, qui considerandi modus sapientiæ est proprius. Ita autem eos exponit: Λογικώτερον λέγεται ἀντὶ τοῦ πρεπόντως τῇ λογικῇ πραγματείᾳ. Τὸ δὲ κυρίως διαλαβεῖν, τὸ, τὰ συμβεβηκότα ζητεῖν τῶν πραγμάτων. Φυσικῶς δὲ, τὸ τὰς ὀυσίας ζητεῖν τῶν πραγμάτων. Θεολογικῶς δέ ἐστι ζητεῖν, τὸ ὅθεν ἦλθεν ἅπαντα, καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς συστάσεως ἑκάστου, Λογικῶς, vult dicere, *res considerari dicitur, quando tractatur secundum accidentia quædam*, hoc est, ut ibidem exponit, κατὰ σχῆμα τῆς προσηγορίας, *secundum loquendi modum, qui consistit in attribuendo & subjiciendo.* Φυσικῶς, cum ὀυσία *ejus indagatur, aut ita pertractatur, ut fert propria ejus natura.* Θεολογικῶς denique, *cum principium primum qværitur, à quo omnia fluxerunt perqve illud consistunt.* Theologi enim, sive sapientis ἁπλῶς (Θεολογία namq; & σοφία absolutè sic dicta, quæ aliàs & prima dicitur, idem sunt, ut colligere est non solùm ex Aristotele V. Met. 1. sed & Ptolemæo lib. 1. Almagesti c. 1. Alcinoo item lib.

de Doctrinâ Platonis cap. 3. & Boëthio Dialogo I. in Porphyrium) est primum investigare cunctarum rerum principium, ut ante *Platonem* & *Aristotelem* jam docuit *Perictiones Pythagoreus lib.* de *Sapientiâ*, cujus verba, quia notatu digna sunt, non pigrabimur adscribere. Sic verò illa habent apud Stobæum serm. I: Ὅστις ὦν ἀναλῦσαι οἷός ἐστι πάντα γένη ὑπὸ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἀρχὰν, καὶ πάλιν ἐκ ταύτας συνθεῖναι καὶ ἀριθμάσασθαι, οὗτος δοκεῖ καὶ σοφώτατος εἶναι, καὶ ἀληθέστατος. ἔτι δὲ καὶ καλὰν σκοπιὰν ἀνευρηκέναι, ἐφ' ἇς δυνατὸς ἐσσεῖται, τόν τε θεὸν κατόψεσθαι, καὶ πάντα τὰ ἐν συστοιχίᾳ τε καὶ τάξει τὰ ἐκείνου κατακεχωρισμένα, *Quisqvis omnia genera in unum idemq́; principium resolvere potest, iterumq́; ex eo componere & enumerare, hic & sapientissimus, & verissimus esse videtur: quin & pulchram speculam invenisse, in quâ & Deum potest contemplari & omnia, quæ eâdem serie & ordine sunt, ab ipso sejuncta.* Porrò modò laudatus *Ammonius* in lib. *Categ. cap.* de *Motu*, qvæstionē movet, qvare *Arist.* ibidem generationē & corruptionem inter species motus referat, cum in Physicis contrarium statuat, & respondet his verbis: Ἐνταῦθα μὲν τοι ἐπειδὴ εἰσαγωγικὸν τὸ βιβλίον μᾶλλον, οὐ φυσικὸν, οὐκ ἀκριβολογεῖται περὶ τούτων. οὐ γὰρ ὡς φυσικὸς ἐνταῦθα διαλέγεται, ἀλλ' ὡς λογικὸς ζητῶν ἐν τούτοις, τινα πίσιν ἤουχ ἕπεται. Ubi φυσικῶς *agere* rursus vocat *agere secundum rei naturam, exqvisitè & accuratè*, λογικῶς autem *agere, tractare rem* παχυλῶς & κατὰ δόξαν πολλῶν, h. e. ut *Averroës* loqvitur, *secundùm famositatem*. Eadem mens est & *Eustratii Comm.* in *II. Poster.* ubi πραγματικῶς accipit pro eo, qvod in re est, eiq́ve contrariè opponit λογικῶς καὶ κατ' ἔννοιαν. Verba ejus hæc sunt: Πραγματικῶς ἐκ τοῦ γένους καὶ ἐκ τῶν διαφορῶν τὰ εἴδη συνίσταται ὡς τὰ καθέκαστα ἐκ τοῦ εἴδους καὶ τῆς ὕλης. Λογικῶς δὲ αὖθις καὶ κατ' ἔννοιαν τό τε εἶδος ἐκ τῶν καθέκαστα καὶ τὸ γένος ἐκ

τῶν

τῶν εἰδῶν, πραγματικῶς h. e. *exquisitè, accuratè & ad rem accommodatè* dicendo (ita enim vox accipitur passim, ut apud *Clem. Alexand.* in init. II. *Stromatum* in verbis istis, οἱ πραγματικῶς τὰ τῶν ἀρχαίων φιλοσοφήσαντες, & *Ciceronē* ad Q. *fratrem* scribentem, *Tu in hâc eâdem brevi epistolâ* πραγματικῶς *valdè scripsisti:* ut *Polybii* & *Diodori* mentionem non faciam, qvorum ille in V, hic in XIII. & XVII. libb. eodem significatu voce utuntur) *ex genere & differentiis species constituuntur: ut individua ex materiâ & formâ. Logicè verò & secundum opinionem multorum species ex individuis, & genus ex speciebus constituitur.* Deniqve notatu etiam digna sunt, quæ *Hieronymus* de duplici hoc considerandi modo habet *Apologiâ ad Pammachium*, qvæ inter *Epistolas* ejus L. est, c. VI: *Legimus*, ait, *Aristotelea illa de Gorgiæ fontibus manantia: simul didicimus plura esse genera dicendi:* & *inter cætera aliud esse* γυμναστικῶς *scribere, aliud* δογματικῶς. Ubi δογματικῶς ipsi idem est, qvod aliis πραγματικῶς. Docet namq; qvi causas rei assignat, adeoq; rem, ut fert natura ejus, tractat, *l. Met. II.* Γυμναστικῶς autē idem illi est, qvod διαλεκτικῶς & λογικῶς. Jam antiqvitus enim Dialectica γυμναστικὴ dicta fuit, qvia προπαρασκευὴ est ad Philosophiam, ut Gymnastica ad Medicinam. Nam ὡς τὰ τοῦ σώματος γυμνάσια γινόμενα κατὰ τέχνην εὐεξίαν περιποιεῖ τῷ σώματι, οὕτω καὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἐν λόγοις γυμνάσια κατὰ μέθοδον γινόμενα τὴν οἰκείαν εὐεξίαν τῆς ψυχῆς περιποιεῖ. οἰκεία δὲ εὐεξία ψυχῆς λογικῆς ἡ δύναμις, καθ' ἣν εὑρετική τε τοῦ ἀληθοῦς, καὶ κριτικὴ γίνεται, ait *Alexander* in *I. Top. c. II.* & ex eo *Suidas* in voce γυμνάσια, *Ut corporis exercitia secundum artem instituta bonum habitum corpori conciliant: ita & animi exercitia in sermonibus, si secundum methodum fiant, animo habitudinē adferunt bonam. Est autem bona habitudo animæ rationalis facultas, quâ verum invenitur & dijudicatur.*

XXXVI. Atqve sic constat ex unanimi optimorum Philosophorum sententiâ duplicem esse res considerandi modum, λογικὸν καὶ πραγματικόν. Quo supposito, quæritur jam porrò, quem ex his seqvutus fuerit *Aristoteles* in sermonibus & libris *Exotericis*, quemq; in *Acroamaticis?* Qvod in his posteriorem seqvutus fuerit, dubium planè est nullum. Finis enim eorum erat scientia in auditoribus genuinis excitanda, qvæ non ex rudi quadam consideratione emergit, sed accuratam reqvirit ἐπίσκεψιν, quâ singula minutatim, & ex propriis pertractentur. Est enim ea cognitio ἀκριβεστέρα, ex *principiis & causis manans*, 1. Post. 11, 12. Talis autem consideratio erat, quæ πραγματικὴ dicebatur: quam & eâ de causâ πραγματείαν πρὸς φιλοσοφίαν, quæ cum scientia eadem est juxta *n. XXIX*, vocat, loco ante cit. ex *I. Top. XIV*, 7. ubi ait: πρὸς μὲν ὖν φιλοσοφίαν κατ' ἀλήθειαν περὶ αὐτῶν πραγματευτέον. In quem locum ita commentatur *Alexander: Postquam* (Philosophus) *dixerat ex problematibus & propositionibus quædam esse Ethica, quædam Physica, quædam Logica, addit, Philosopho delectum habendum esse secundum veritatem.* καθ' ἕκαστον γὰρ εἶδος τῶν προειρημένων τῆς τοῦ ἀληθοῦς χάριν αἱρέσεως τὴν κατὰ ταῦτα πραγματείαν ποιεῖται, *singulorum enim selectio, quæ veritatis gratia instituitur, secundum propriam disciplinam facienda est, ut propria principia inveniantur.* Nempe in *Politicis quidem* ἀκροάσεσι *propositiones conquirendæ sunt, quæ* ἀληθῶς *ad fugam aut prosecutionem faciunt. Ex Theoreticis autem & Physicis quærenda sunt* τὰ ὡς ἀληθῶς ἀληθῆ, *reapse vera. Ex Analyticis deniq; & cõmentario de propositionibus, itemq; ex distinctione eorum, quæ multiplicem habent significationẽ, ea, qvæ sunt* ἀληθῶς χρήσιμα, *reverâ utilia.* Hæc ille. In Exotericis autem tàm libris, quàm sermonibus, tâm exquisitum nõ potuit sequi modum considerandi; quoniam eos in communem τῶν ἔξωθεν usum scripsit. At illi

idonei

idonei non sunt, qui comprehendant argumenta ex causis & principiis propriis ducta, ut ex *I. Rhet. I.* diximus n. XII. & XVI. *Opinio* quoq;, quæ finis ȣ est librorum Exotericorum, juxta §. XXIX. *non ex principiis propriis nascitur*, (hæc enim in quovis genere faciunt scientem & in cognoscendo πτεάγνιον, non ἐυκίνητον, ut opinio) sed ex *communibus* & *endoxis*. Unde & Dialecticus, qui & ipse pro fine opinionem habet, ut colligitur ex *I. Top. XIV.* §. 7, ex talibus concludit, *I. Topic.* c. I. *I. Rhet. II.* Ex endoxis, dico. Quæ & ob eam causam τὰ κτ̀ νόμον dicuntur, qvibus ex alterâ parte respondent τὰ κτ̀ φύσιν, καὶ κατ' ἀλήθειαν. Νόμος enim est ibi δόξα τῶν πολλῶν. Quâ de causâ & *Ammonius* ὀρθοδοξαστικῶς vocat id, qvod alii dicunt, διαλεκτικῶς, in *Proleg.* ad *Categorias*. Non *Pragmaticum* itaque, sed *Logicum* considerandi modum, in *Exotericis* libris *Philosophus* usurpavit. Quod unanimiter fermè omnes testantur, qui discrimen librorum Aristotelis attingunt.

XXXVII. Inter eos antiqvissimus est *Cicero*, qui in V. de *Finibus*, ut num. I. vidimus, scribit, *Peripateticos duo habuisse librorum Aristotelis genera, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellarint: alterum limatius, quod in commentariis reliqverint.* Quibus verbis expressè testatur, illud librorum genus, quod *Peripatetici* ἐξωτερικὸν dixerunt, populariter fuisse scriptum, hoc est, ad vulgi *sensum & intelligentiam*, κτ̀ δόξαν, ut dicit *Philosophus*; vel καθ' ἔννοιαν, ut *Eustratius*. Quod idem est cum eo, quod Aristoteles & Interpretes ejus dicunt, λογικῶς, ut patet ex n. XXXII. & seqq. Huic autem oppositum librorum genus, quod illi ἀκροατικὸν vocarunt, limatius, &, ut idem *Orator* in paradoxis loqvitur, *oratione eruditâ*, h. e. *Aristoteleo* stylo, ἀναλυτικῶς, ἀκριβῶς, καὶ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, fuisse consignatum. *Ciceronem* seqvitur *Strabo*, ex qvo retulimus n. II.

veteres Peripateticos, qui Theophrastum inseqvuti sunt, πραγματικῶς philosophari non potuisse, eò quod acromaticis Aristotelis libris destituti essent : potuisse tamen de propositis rebus disserere ad eorum morem, qui θέσεις ληκυθίζουσι. Ex qvibus apertè colligitur, *Aristotelem* in *Acroamaticis*, qvibus posteri caruerunt, de quâque re philosophatum esse πραγματικῶς, h. e. *exquisitè*, & ut fert rei natura, juxta hactenus dicta: in *Exotericis* autem de iisdem egisse eorum in morem, qui theses ληκυθίζουσι, id est, *Dialecticorum & Rhetorum more proposita declamant.* Λήκυθος enim propriè olearia est ampulla. Qvo sensu vocem usurpat & Aristophanes in Pluto, ita scribens: Αἱ δὲ λήκυθοι μύρου γέμουσι, *Lecythi verò*, h. e. oleariæ ampullæ, *ungvento sunt plenæ.* Et rursus: ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ, *Oleum non est in Lecytho.* Λήκυθον, inqvit Suidas, τὴν τοῦ μύρου, οἱ ἀττικοὶ καλοῦσιν ἀλάβαστρον, ἀρσενικῶς δὲ τὸν ἀλάβαστρον εἶπε ἡρόδοτος τὸ ἐλαιοδόχον ἀγγεῖον: *Ungventi Lecythum* s. vas ungventarium *Attici vocant alabastrum. Alabastrum autem genere masculino Herodotus dixit vas olearium.* Est autem ampulla olearia prætumida. Qvâ de causâ & Lais, qvia buccis erat tumentibus, πρὸς ταῖς γνάθοις λήκυθον habere dicebatur. Per metaphoram autem λήκυθος usurpatur pro *pigmentis Oratoriis.* Ut enim corpora nitent & fragrant ex ungvento, qvod ex ampullâ seu vase oleario depromitur: ita oratio hujusmodi pigmentis & amœnitatibus veluti recreatur & splendorem capit. Ita sumitur vox ista à Cicerone lib. I. Epistol. ad Atticum Epistolâ IIX, qvum ait: *Totum hunc locum, qvem in Aristocratiâ ego variè meis orationibus soleo depingere, de flammâ, de ferro (nosti illas ληκύθους) valdè graviter pertexuit.* Sed & respicere idem huc videtur de Catonis oratione loqvens, cum scribit: *Intelliges nihil illius lineamentis, nisi eorum ornamen-*

torum,

torum, quæ inventa nondum erant, florem & colorem defuisse. Plinius qvoqve eodem sensu lib. I. Epist. II: *Non tamen omninò*, inqvit, *Marci nostri ληκύθες fugimus, qvoties paulùm itinere decedere non intempestivis amœnitatibus admonebamur.* Horatius de oratione tumidâ & magnificâ interpretatur. Eâdem enim, qvâ Cicero, translatione lib. I. Epist. 3. ait:

An Tragica desævit & ampullatur in arte.

Et in arte Poëticâ:

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.

Inde ulterius ληκυθίζειν est ampullis & sesqvipedalibus verbis uti. Aristophanis Interpres ad fabulam Acharnensium: Ληκυθίζειν, inquit, est τὸ μεῖζον βοᾶν καὶ ψοφεῖν, *magis clamare & sonum edere.* Ad fabulam Ranarum autem: Ληκυθίζειν, ait, *idem est, qvod* ἀκριβῶς τι γράφειν. ἢ μεγαλοῤῥημονεῖν, καὶ ψοφώδη λαλεῖν, *accuratè quid s. cum curâ scribere, vel grandibus verbis uti & sonora loqui.* Porrò θέσις, observante ipso Aristotele *I. Top. XI. §. 5. aliqvando* notat ὑπόληψιν παράδοξον τῶν γνωρίμων τινὸς κατὰ φιλοσοφίαν, *sententiam nobilis cujusdam Philosophi adversus opinionem aliorum*, veluti non posse contradici, ut *Antistheni*, aut omnia moveri, ut *Heraclito* videbatur, & similia, de qvibus vide *Gellium XVII. cap. XII.* & *Platonem* in *Theateto : aliquando* autem *quæstiones omnes Dialecticas* designat. Addit enim *Aristoteles :* σχεδὸν δὲ νῦν πάντα τὰ διαλεκτικὰ προβλήματα, θέσεις καλοῦνται. Innuit itaq; *Strabo*, Peripateticos illos, *Theophrasti* posteros, ad propositas qvæstiones, qvæ aliorum repugnarent opinioni, solitos fuisse declamare. Qvòd *Hieronymum Rhodium*, nobilem Peripateticum, qvi post *Theophrastū* floruit, fecisse cognoscimus etiam ex *Cicerone*. Is enim summū bonum, novâ prorsus opinione, *indolentiam* esse dicebat, cum alii vel in divitiis, vel in honore, vel in voluptate, vel in virtute, vel in rerum

con-

contemplatione id collocarent. Vel id potius indicare vult *Strabo*, consuevisse illos positâ *thesi* qualicunque seu Dialecticâ quæstione, quam eandem *infinitam* vocant *Rhetores*, non sine elegantiâ sermonis utramq; in partem probabiliter disputare. Neque enim crasso veteres in disputationibus suis utebantur stylo, sed compto & polito. Unde & Topic. lib. IIX, I. §.6. mentio fit propositionũ non necessariarum, quæ *ornatus gratiâ* ἐν τῷ διαλέγεσθαι usurpentur. In Dialogis Platonis quoque, Luciani, aliorumque pigmenta seu ornamenta Oratoria passim deprehenduntur. Quin Plato decoris, in sermone observandi. meminit in ipsa Dialogi definitione apud Laertium. Sic enim illic Dialogum definit: Ἔστι διάλογος, λόγος ἐξ ἐρωτήσεως, καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περί τινος τῶν φιλοσοφουμένων καὶ πολιτικῶν, μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιΐας τῶν παραλαμβανομένων προσώπων καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς, *Dialogus est sermo ex interrogatione & responsione compositus de re aliqua ad Philosophiam vel facultatem civilem spectante cum decenti & congrua expressione personarum, quæ assumuntur, & accuratâ compositione verborum.* Tali ergò ratione & Aristoteles suos docebat unamquamque quæstionem disputabilem tractare, quod ab illo in Peripatum introductum observarunt & successores ejus, prout testatur Cicero *II. Tuscul. Q q.* scribens: *Mihi semper Peripateticorum Academiæq; consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi non ob eam causam solùm placuit, quod aliter non posset quid in quâque re verisimile esset, inveniri, sed etiam quod esset in ea maximè dicendi exercitatio, quâ princeps usus est Aristoteles, deinde eum qui sequuti sunt.* Inter quos primus erat *Theophrastus*, quem instititisse Magistri vestigiis & discipulos propositâ ad defendendum & oppugnandum quæstione aliquâ, quæ Θέσις diceretur, exercuisse, etiam ex *Athenæi* lib. IV, II. discimus, ubi

ita *Lynceus* qvidam ad *Hippolochum*: Σὺ δὲ μόνον, inqvit, ἐν Ἀθήναις μένων εὐδαιμονίζεις τὰς Θεοφράστου θέσεις ἀκούων, legendum fortè, ἑαυτὸν εὐδαιμονίζεις, ut hic fensus fit: *Tu hoc uno te censes esse beatum, quod Athenis manens Theophrasti disputationes de propositâ thesi audias.* *Quintilianus* de *Peripateticis* in communi: *Peripatetici, inqvit, se studio quodam Oratorio jactant: nam theses dicere exercitationis gratiâ ferè ab iis est institutum.* Quæ quidem exercitatio ea est, ob qvam *Topici libri Aristotelis* sunt conscripti. Ibi enim ostenditur, qvomodo propositum aliqvod problema εἰς ἑκάτερον disputari possit. Quod argumento est, *Aristotelem* in libris ἐξωτερικοῖς Dialectico more, atq; adeò ἐξ ἐνδόξων disputasse, qvod λογικῶς πραγματεύειν dicebatur *supra*. Unde rationes communes & ἔνδοξοι aliàs & ἐξωτερικαὶ *Aristoteli* dicuntur, ut in IV. *Phys.* c. XIV, ubi de tempore dissertationem instituens, ait, inqvirendum primùm esse, utrum tempus sit ex numero entium, annon sit, idqve διὰ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων, *id est*, ἐνδόξων, ut exponit *Philoponus* in *Comm.* scribens: Ἐξωτερικοὺς λόγους φησὶ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἀκροαματικῶν καὶ ἀποδεικτικῶν τοὺς ἐξ ἐνδόξων καὶ πιθανῶν ὡρμημένους, *Exotericas rationes vocat, ad differentiam acroamaticarum & demonstrativarum, eas, quæ ex consentaneis hominum opinionibus & persvasibilibus procedunt.* Qvibus sin ilia & *Simplicius* habet. Ita enim ille: Ἐξωτερικά ἐστι τὰ κοινὰ καὶ δι' ἐνδόξων περαινόμενα, ἀλλὰ μὴ ἀποδεικτικά, μὴ δὲ ἀκροαματικά. Rursus II. *Polit. IV.* Τὰ δὲ ἄλλα, inqvit Philosophus, τοῖς ἔξωθεν λόγοις πεπλήρωκε τὸν λόγον, *quod ad reliqua attinet extraneis rationibus implevit sermonē* (Plato) id est, non veris & intrinsecis, sed alienis, qvæ non à reipsâ petuntur, sed aliunde, qvas alibi λογικὰς, κοινὰς, καὶ κενὰς vocat, ut I. *Eud.* VI. & IIX.

XXXVIII. Idem discrimen librorum *Exotericorum* & Acroamaticorū confirmant *Græci Aristotelis* interpretes ferN mè

mè omnes. Ex qvibus meritò agmen ducit *Alexander*. Qvi ad iſta verba ex I. *Top*. c. XIV. διαλεκτικῶς δὲ πρὸς δόξαν, ita ſcribit: Λογικῶς δὲ ἢ διαλεκτικῶς πρὸς δόξαν, ὡς ἔν τε ταύτῃ πραγματείᾳ, καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς, καὶ τοῖς ἐξωτερικοῖς. καὶ γὰρ ἐν ἐκείνοις πλεῖστα καὶ περὶ τῶν ἠθικῶν καὶ περὶ τῶν φυσικῶν ἐνδόξως λέγεται. Qvibus perſpicuè teſtatur in *Exotericis* ſcriptis actum eſſe de rebus, cùm naturalibus, tùm moralibus, verùm non *Phyſicè*, non *Ethicè*, ſed ἐνδόξως, id eſt, ex *principiis, opinionibus hominum conſentaneis*. *Alexandro* jungamus *Ammonium*, qvi tàm diſtinctè & clarè de diſcrimine librorum Ariſtotelis loqvitur, qvàm reliqvorum Interpretum nullus, *Prooem.* in Categ. Is ergò *primùm* ſcripta *Ariſtotelis* diſtribuit in ὑπομνηματικὰ & συνταγματικά. Ex qvibus ὑπομνηματικὰ συγγράμματα vocat libros, qvos ad memoriæ ſubſidium ſibi confecerat Philoſophus. Moris enim erat priſcis, referente ibidem Ammonio, ut majorum ſcripta legentes commentarios ſibi facerent, in qvibus opiniones de rebus à Philoſophis pertractis perſcriberent & argumenta, qvibus opiniones ſuas adſtruerent. In eos congerere etiam ſolebant, qvid ſibi privatim videretur, ut ſi qvando ad ſcribendū animum appuliſſent, tanqvam ex penu literaria promerent materiam voluminum conſcribendorum: qvalem commentarium præ ſe ferunt Noctes Atticæ Gellii, qvas ad ſubſidium memoriæ, qvaſi qvoddam literarum penus, recondebat, ut ipſe habet in Operis præfatione. Hujusmodi Commentarii dicebantur ὑπομνήματα, ut notavimus jam ſuprà n. I., item ὑπομνηματισμοί, quanquam aliqvando promiſcuè qvævis ſcripta ſic appellentur, inprimis apud *Athenæum* & *Dionyſium Hal. lib. I. Antiquit: Rom. Plinius* junior in *Epiſtolis* de avunculo ſuo teſtatur, eum taliū *Commentariorum* CLX. ſibi reliqviſſe, qvos ipſe *commentarios ſelectorum epiſtographos* vocat. Talibus itaq; commentariis fuit & *Ariſtoteles* inſtructꝰ. Sed præter hæc & alia exaravit ſcripta συν-

πραγματικὰ *Ammonio* dicta, qvo nomine insigniuntur ejusmodi scripta, quæ nõ ex tempore & sine curâ composuit, sed καὶ φράσιν ἔχει πρέπουσαν συντάγματι, καὶ τὴν τῶν κεφαλαίων εὔτακτον διαίρεσιν, *& dictionẽ habent compositioni congruam, & capitũ divisionem rectè atq; ordine digestam.* Ea porrò dividit Ammonius in αὐτοπρόσωπα καὶ ἀκροαματικὰ, & in διαλογικὰ καὶ ἐξωτερικά. Et mox discrimen horũ συγγραμμάτων aperit. Plurimùm autẽ, ait, differunt dialogica scripta ab autoprosopis. ἐν μὲν γὰρ τοῖς αὐτοπροσώποις, ἅτε πρὸς γνησίους ἀκροατὰς τὸν λόγον ποιούμενος, τὰ δοκοῦντα αὐτῷ λέγει, καὶ δι' ἐπιχειρημάτων ἀκριβεστάτων, καὶ οἷς οὐχ' οἷοί τε εἰσιν οἱ πολλοὶ παρακολουθῆσαι, *In autoprosopis enim, veluti ad legitimos auditores sermonẽ faciens, animi sententiã aperit, atq; exquisitissimis argumentis & certissimis demonstrationibus utitur, quas propter obscuritatẽ imperita hominũ multitudo assequi nõ valet.* Ἐν δὲ τοῖς διαλογικοῖς, ἅτε πρὸς κοινὴν καὶ τὴν τῶν πολλῶν ὠφέλειαν γεγραμμένοις, τὰ δοκοῦντα αὐτῷ λέγει, ἀλλ' οὐ δι' ἀποδεικτικῶν ἐπιχειρημάτων, ἀλλὰ δι' ἁπλουστέρων, καὶ οἷς οἷοί τε εἰσιν οἱ πολλοὶ παρακολουθεῖν, *In Dialogicis autẽ & Exotericis, ut quæ ad communẽ multorũ utilitatẽ scripta sunt, quæ ipsi videntur, docet, verùm non rationibus demonstrativis, sed simplicioribus atq; apertis, quas & turbæ imperitorũ intelligere possint.* Hæc *Ammonius*. Ex qvibus iterum liqvet, discrimen librorum Exotericorũ & Acromaticorum primariũ fermè sumi à tractandi varietate, & generibus argumentorũ. In his enim adhiberi rationes proprias, ex rerũ propriis principiis & causis ductas. (hæc namq; sunt ἀποδεικτικὰ illa ἐπιχειρήματα, V. I. *Post. II.* s. qq.) in illis autem rationes simpliciores, communes & ἐνδόξους, qvas alio nomine λογικὰς appellari jam sæpius diximus. Deniq; audiamus & *Simplicium*, qui in *Proleg.* ad *libros de principiis & motu*: Διχῆ δὲ, ait, διῃρημένων αὐτοῦ τῶν συγγραμμάτων. εἴς τε τὰ ἐξωτερικὰ, οἷα τὰ ἱστορικὰ, καὶ τὰ διαλογικὰ, καὶ ὅλως τὰ μὴ ἄκρας ἀκριβείας φροντίζοντα, καὶ εἰς τὰ ἀκροαματικὰ,

ὧν καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ πραγματεία. Qvum bifariam scripta ejus (Aristotelis) *dividantur, in exoterica, inquam, qualia sunt historica & Dialogica meditationes, atq;, ut summatim dicam, omnia, quæ exactam diligentiam non postulant, & acroamatica, inter hæc & præsens tractatio* (Physica) *numeratur.* Qvibus non obscurè indicat, hoc discriminis intercedere scriptis *Aristotelis* exotericis cum Acroamaticis, qvod in his exactam diligentiam non adhibuerit, in istis autem remotiorem & subtiliorem Philosophiam agitârit.

XXXIX. Satis, ut opinor, constat, qvomodo & λόγοι & libri Exoterici ab Acroamaticis differant, cùm materiâ, tùm fine, tùm modo considerandi. Unum restat, nempe, ut videamus, qvomodo ratione λέξεως distermirentur. Qvod enim dictionem in iis oportuerit esse diversam, facilè concedet unusqvisq;, qvi sibi in memoriam revocaverit finem utriusq; generis librorum. Aliud siqvidem λέξεως genus est accommodatum ad scientiam: aliud ad δόξαν. Aliud item qværunt γνήσιοι scientiarum auditores: aliud οἱ ἔξωθεν s. profani. Nempe *his elegans & picturata*, ut dicebamus supra, *placet oratio, illis, quæ simplex est & tenuis: hi laciniosum quid & diductum quærunt, illis concisum quid & contractum* est satis. Non enim nimis nominum curiosus est, nec esse debet, qvi ad scientiã adspirat, qvoniam minuta illa nominum observandorum curiositas, qvam *Prodicum* fuisse sectatũ ait Galenus *I. Art. XVI*, initium non scientiæ est, sed Sophistices potiùs, quæ scientiæ opposita est. Hæc enim non περὶ τὰ πράγματα versatur, sed περὶ τὰς λέξεις, ut inter cæteros & Clem. Alex. *I. Strom.* docet. Hinc *Plato* in Politico: Κἂν φυλάξῃς, ait, τὸ σπουδάζειν μὴ ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι, πλουσιώτερος εἰς γῆρας ἀναφανήσῃ φρονήσεως, *Si caveris, ne sis de nominibus nimiùm solicitus, ditior sapientiâ ad senectutem pervenies.* Omninò se res habet, ut in bello. χειρῶν, ait *Sy-*

nesius

nesius Epist. LXXIIX, δεῖ τῷ πολέμῳ, καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν, *bellum opus habet manibus & vi, non nudis nominibus*, h. e. hominibus, nominetenus militibus, qvi sunt λευκοὶ ἰδεῖν, ἐντρυφεροὶ, αἰθρίας καὶ πόνων ἄπειροι, *albo colore, molles, laborumq́; insveti*,' ut *Dio Chrysost.* describit in IV. *de Regno.* Qvemadmodum igitur hostis non moratur πυγάργους, homines albo podice, delicatosq́; : ita οἰκεῖοι auditores, qvi scientiæ desiderio flagrant, non laborant de nominibus, dummodo res sit certa, & nomina ita sint comparata, ut in se dilucidam contineant rei significatæ interpretationem. Aliàs enim, ut *Galenus* in III. *Simpl.* XII. ait, ἡ τῶν ὀνομάτων χρῆσις παραχθεῖσα, καὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἐπιταράττει γνῶσιν, *conturbatus nominum usus & rerum ipsarum cognitionem conturbat.* Et Plutarchus in lib. de Iside & Osiride τοὺς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκούειν ὀνομάτων, κακῶς χρῆσθαι καὶ τοῖς πράγμασιν, eos, qvi rerum vocabula non curant intelligere, in rebus qvoq; ipsis facillimè errare scribit. Itaq; qvi ita dicere vult, ut pectus ejus, qvi inter οἰκείους scientiarum ἀκροατὰς numeratur, exsaturet, rebus intentus esse debet, neq; in nominibus multum operæ ponere aut nimis diducto orationis genere uti, sed concisè & simpliciter loqvi, ita tamen, ut auditores usum vocis cognoscentes ab eo mox provehantur in rei cognitionem. Inter virtutes enim scientifici Doctoris numeratur & *brevitas, ea scilicet, qua*, ut Ammianus Marcellinus lib. 23. ait, *moras rumpens intempestivas, nihil tamen subtrahit necessaria cognitioni:* non *ea, qua laborat, & scrutatur, qvid præteriri debeat, non quid significatiùs explicet*, ut idem *Historicus* loqvitur. Interdum & fingere nomina cogitur *Philosophus* Doctor. Qvia enim ἀκριβῶς, hoc est, *accuratè & minutatim* materiam subjectam pertractat, hinc ad ea aliqvando pervenit, ad qvæ vulgus pervenire non solet, qvibus eâ de causâ no-

mina imposita non sunt. Interea *res ipsas in differendo afferre non potest, sed nominibus* uti *cogitur, tanquam rerum symbolis,* l. *Sophist. Elench.* c. 1. §. 5: ideò fingere cogitur nomina, quibus res istas efferat, sicut *Phil.* ait: ἐνίοτε ὀνοματοποιεῖν ἀναγκαῖον, ἐὰν μὴ κείμενον εἴη τὸ ὄνομα. l. *Categ.* c. VII. *Imponenda*, ait Cicero lib. 3. definibus bonorum & malorum, *nova novis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cujus usus vulgaris communisq; non sit, multam novitatem nominum esse, cum constituuntur earum rerum vocabula, quæ in quâq; arte versentur.* Et Apulejus de dogmate Platonis: *Datur*, inqvit, *venia novitati verborum rerum obscuritatibus servienti.* Deniq; C. Sidonius Apollinaris Epist. ad Polemium: *Licet*, ait, *rebus novis nova nomina imponere.* Accidit etiam nonunqvam, ut rebus imposita sint nomina, sed nimis prolixa & minus convenientia: alia itaq; fingit, & istis substituit, qvæ rem signatius explicent. Hoc est, qvod *Galenus* docet lib. IIX. *de decret: Hipp. & Plat.* ὅσον, inqvit, ἄλλος ἀκριβέστερόν τε καὶ λεπτομερέστερον ἥντινοῦν φύσιν πραγμάτων ἐξεργάζεται, τοσούτῳ πλεόνων αὐτῷ γίγνεται χρεία, *Quantò quis exactius subtiliusq; quamcunq; rerũ naturã pertractare conatur, tantò plura nomina inveniat, oportet.* Et *Philo Judæus lib. de agriculturâ in princip:* Οἱ μὲν πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων τὰς φύσεις τῶν πραγμάτων οὐκ εἰδότες, καὶ περὶ τὴν τῶν ὀνομάτων θέσιν ἐξ ἀνάγκης, ἁμαρτάνουσι. τοῖς μὲν γὰρ ὥσπερ ἐξ ἀνατομῆς περινοηθεῖσι κύριαι προσρήσεις ἕπονται. τοῖς δὲ ὑποσυγκεχυμένοις οὐ σφόδρα ἠκριβωμέναι, *Vulgus hominũ rerum naturas ignorans, etiam in nominibus eis imponendis erret oportet: nam qui eas velut per anatomiam considerant, facilè proprias appellationes earum assequuntur: qui autem res tractant confusiùs, non tàm exqhisitas.* Ex qvo unà intelli-

gitur,

gitur, non qvemvis sibi sumere debere potestatem nova nomina fingendi, sed eum, qui rerum optimè gnarus est (quod & *Plato* in *Gorgiâ* monuit) quique tales res tractat, qvibus aut planè imposita non sunt nomina, aut minus perspicua vel accommodata. Aliàs enim satiùs est, Doctorem usitata nomina retinere. Unde & *Galenus* reprehendit Prodicum, ut *ἀναπειθόμενον ἀπὸ τῆς θαυμαστῆς ἐτυμολογίας*, quod phlegma maluerit calidissimum humorem vocare, qvàm solenni nomine uti, *II. de diff. febr. VI.* Eandemqve obcausam inter *Græcos* sapientissimi non facilè potuerunt adduci, ut nova vocabula fingerent. Potiùs in eo casu circumspexerunt, annon usitata aliqva essent vocabula, qvæ per cognationem qvandam seu *μεταφορὰν* rebus propositis accommodarent. Cum autem talia vocabula habere non poterant & nova fingere cogebantur, non illotis ad id, qvod dicitur, accedebant manibus, sed probè observabant, ne à patrio & communi sermone nomina illa essent aliena, & ut brevia essent, perspicua & accommodata. Egregia sunt, qvæ *Aristoteles* hac de re habet in *II. Eth. VII: Danda est opera*, inqvit, *ut aliis, sic & Ethico Philosopho, ut cum nova fingit nomina, faciat id perspicuitatis gratia* (hæc enim in nominum usu qvasi meta spectanda est, Galen. II. Method. I.) *& ut rebus consentanea sit expositio.* Et *Galenus* lib. *de morbi temporibus* cap. V, scribens: ὀνόματα συνθέσθαι κάλλιον ἕνεκα συντόμου θ' ἅμα καὶ σαφοῦς δηλώσεως, καθάπερ τις νόμος ἐστὶ κοινὸς ἅπασι τοῖς Ἕλλησιν, ὧν μὲν ἂν ἔχωμεν ὀνόματα πραγμάτων παρὰ τοῖς πρεσβυτέροις εἰρημένα χρῆσθαι τούτοις, ὧν δὲ οὐκ ἔχομεν, ἤτοι μεταφέρειν ἀπό τινος, ὧν ἔχομεν, ἢ ποιεῖν αὐτοὺς κατ' ἀναλογίαν τινὰ τὴν πρὸς τὰ κατωνομασμένα τῶν πραγμάτων, ἢ καὶ καταχρῆσθαι τοῖς ἐφ' ἑτέρων κειμένοις; *Porrò nomina ipsa*-

rum

rum ſimul ponere tùm compendii, tùm claritatis cauſa præſtat. Quemadmodum lex quædam eſt communis omnibus Græcis, ut quarum rerum nomina apud vetuſtiores uſurpata inveniamus, his utamur. Quarum verò non habemus, vel ab aliquo eorum, quæ nobis ſunt, transferamus, vel ipſi ſecundum rerum quandam ſimilitudinem ad ea, quæ denominata ſunt, fingamus, vel ab aliis dictis utamur. Confer eundem *I. de Methodo V. lib. II, I. II. de diff. pulſ. II.* nec non de *Symptomatum differentiis* cap. I. Qvibus accedit & Gregorius Nazianzenus Orat. 39. in ſancta lumina ſcribens: *Δεῖ δὲ καινοτομῆσαι περὶ τὰ ὀνόματα σαφηνείας ἕνεκα, Oportet nova* adhibere vocabula *perſpicuitatis cauſa.* Qvod itaq; nova nomina qvandoq; fingere posſint, imò fingere cogantur, qvi *ἀναλυτικῶς καὶ ἀκροαματικῶς* de rebus diſſerunt, hinc conſtat. At qvi *ἐξωτερικῶς* & *Dialectico* more diſſerunt, qvoniam de rebus non tractant *ἀκριβῶς*, ſed populariter ad captum vulgi, ſeu, ut Græci loqvuntur, *κατὰ δόξαν πολλῶν*, eos nulla cogit necesſitas, ut nova fingãt nomina, qvia de talib9 potius diſſerunt, qvib9 nomina impoſita jam ſunt: qvin cavere ſibi debent ab inuſitatis nominibus, qvoniã vulgus nominum obſervandorũ nimis curioſus faſtidit nomina, ſi à communi & trito ſermone ſint aliena. Ideoqve non ſemel *Philoſophus* in *Dialecticis*: *Προσαγορευτέον ταῖς ὀνομασίαις τὰ πράγματα καθάπερ οἱ πολλοὶ, Appellare nos oportet res nominibus, quibus vulgus appellat.* II. *Top.* II. §. 5. VI, II, §. *ult* Et *inter ἁμαρτίας ſeu vitia Dialecticorum problematum recenſet, τὸ παραβαίνειν τὴν κειμένην λέξιν, ſi quis diſcedat à communi loqvendi conſvetudine,* II. *Top.* I. §. ult: Utendum planè ſermone ut *numo, cui publica forma* eſt, ait & Qvintilianus lib. I. cap. X. Et Fortunatianus lib. III. *Vir perfectisſimus dixit verbis utendum, ut numis publicâ monetâ ſignatis.* Qvibus accedit & Plutarchus lib. de Pythiæ oracu-

oraculis cap. XXI. ita ſcribens: Ἀμοιβῇ ἔοικε νομίσματος ἡ τοῦ λόγου χρεία, καὶ δόκιμον καὶ αὐτοῦ τὸ σύνηθές ἐστι καὶ γνώριμον, ἄλλην ἐν ἄλλοις χρόνοις ἰσχὺν λαμβάνοντος, *Uſus ſermonis ſimilis videtur eſſe mutationi numiſmatis, qvorum utrumq; aliud alio tempore valens tùm probatur, cum notum eſt & uſitatum.* Deinde & diductâ magis oratione uti debet & picturatâ Dialecticus. Non facilè enim aliorum mentem percipit vulgus, ſi nervoſo nimis & contracto ſermone exprimatur: nec facilè movetur, ſi omnis ſplendor ab oratione abſit. Abhorret enim à nimis tenui & ſimplici dicendi ratione. Ex qvo & jam ante (n. XXXIIX.) notavimus non minus Platonem, qvàm Ariſtotelem, ornatus, in Dialecticis diſputationibus adhibendi, injicere mentionem.

XL. Qvod ſi ita res comparata eſt cum ſermonibus ad producendam ſcientiam & opinionem accommodatis, cuivis jam in proclivi eſt judicare, qvo dictionis genere *Ariſtoteles* uti debuerit, qvoq; reâpſe, ut veriſimile eſt, qvippe nunqvam negligens officii ſui, uſus fuerit in Exotericis πρὸς δόξαν tendentibus, qvo in *Acroamaticis* πρὸς ἐπιστήμην collimantibus ſcriptis. Nempe in illis ſine dubio ad popularem captum plenius planiusq; de rebus propoſitis diſceptavit, fuſiore ambitu omnia declaravit, verbisq; circumvehi ſolitus fuit. At in his, qvia res ipſi erat cum intelligentibus, & qvi jam plurimùm promoverant in diſcendi ſtudio, brevius & contractiùs cuncta propoſuit, qvaſi apud peritos ſingula ſignans potiùs, qvàm latiùs expandens. Qvod ex reſponſione ejus ad *Alexandri* Epiſtolam, qvam ex *Andronici* libro produxit *Gellius*, apparet. Cum enim apud Magiſtrum per literas conqveſtus eſſet Rex ille, diſcipulus & auditor qvondam ejus, qvòd diſciplinas Acroamaticas, qvibus ab eo eruditus fuerat, ſcriptis foràs editis invulgaſſet, reſpondit, ita evulgatas librorum editiones eſſe,

O ut

ut tamen vulgo non paterent, ſed ſolis eis, qui eas audiverant. ἴσθ' ὖν αὐτὺς καὶ ἐκδεδομένυς, καὶ μὴ ἐκδεδομένυς. ξυνετοὶ γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκύουσι, *Scito & editos eos eſſe, & non editos: ſolis enim, qui noſtris auditionibus interfuerunt, cognobiles erunt.* Qvamvis enim Ariſtoteles Philoſophiam ſuam non occultârit *ænigmatibus*, *ſymbolis* & *allegoriis*, qvemadmodum *Ægyptii* notis *hieroglyphicis*, unde *Apollo Pythius* λοξίας dicebatur: nec *fabulis*, ut *Poëtæ, Orpheus* & *Homerus*, &c. alio tamen modo eam obſcuravit, nempe ſingulari *verborum proprietate & genere dicendi*, qvò tardos & hebetes à Philoſophiæ ſacris adytis repelleret, & ad eadem ingenioſos & induſtrios excitaret. Unde *Themiſtius* ait, ὅτι πολλὰ τῶν Ἀριστοτέλυς βιβλίων εἰς ἐπίκρυψιν μεμηχανῆσθαι ἔοικε, quod *multa in Ariſtotelis ſcriptis videantur ad occultationem ſtudio eſſe compoſita.* Et qvod συνήθης ei, ſive *familiaris*, ſit βραχυλογία, *breviloquentia.* Et *Philoponus*, qvod adhibeat τὴν τῶν ἐννοιῶν πυκνότητα, καὶ τὸ τῆς φράσεως συνεστραμμένον, *ſententias ſpiſſas & phraſes contortas*, idq; eo fine, *ut ſegniores ab hujusmodi ſtudio repellat & dehortetur, Proœm:* in Phyſ: *Simplicius* deniq; Præfat: in eosdem libros, qvod in *Acroamaticis ſcriptis* ἀσάφειαν, *obſcuritatē*, elegerit, διὰ ταύτης τὺς ῥαθυμοτέρυς ἀποκρυόμενος, ὡς παρ' ἐκείνης μὴ δὲ γεγράφθαι δοκεῖν, *ut ſegniores ab hujusmodi ſtudio repelleret & dehortaretur, quaſi propter illos acroamatica ſcripta non eſſent exarata.* Quod & ipſe confirmat ex reſponſoria *Ariſtotelis*, ad Epiſtolam *Alexandri*, cujus paulò antè memini. Similia his idem habet Prolegomenis in *Prædicamenta.* Οὐ μὴν ὐδὲ μύθοις, ὐδὲ συμβολικοῖς αἰνίγμασιν ὡς τῶν πρὸ αὐτῦ τινὲς, Ἀριστοτέλης ἐχρήσατο, ἀλλ' ἀντὶ παντὸς ἄλλυ παραπετάσματος τὴν ἀσάφειαν προετίμησεν, *nec verò fabulis, nec ſymbolicis ænigmatibus, ut ante eum quidam, Ariſtoteles uſus eſt, ſed loco omnis alius velamenti, obſcuritatē* verborũ *elegit.* Cæterùm obſcuritatem iſtam ſentiunt tantùm
οἱ ἐξώ-

οἱ ἐξώτεροι, ſive ἀπαίδευτοι, qvibus non ſine causâ tàm obſcurus eſt *Ariſtoteles*, ut faciliùs videatur ipſis oraculi, qvàm illius, ſententiam divinare: τοῖς πεπαιδευμένοις autem, ſive *auditoribus genuinis*, qvi *Ariſtotelis* docendi modo asſveti ſunt, tantùm abeſt, ut obſcurus ſit, ut potiùs nusqvam ab evidentiâ recedere videatur. Sit nobis nunc omnium inſtar *Simplicius*, qvo nemo planiùs & accuratiùs hoc inſtitutum *Ariſtotelis* docuit: Οὐδαμοῦ ἐθέλει (ὁ Ἀριστοτέλης) τῆς ἐναργείας ἐξίστασθαι. διττῆς δὲ οὔσης ἐναργείας εἰς πίστιν, τῆς μὲν, ἀπὸ νοῦ, τῆς δὲ, ἀπὸ αἰσθήσεως, τοῖς μετ' αἰσθήσεως ζῶσι διαλεγόμενος, τὰς ἀπὸ τῆς αἰσθήσεως προτιμᾷ. διὸ καὶ τὸ ἀναγκαστικὸν αὐτοῦ ταῖς ἀποδείξεσιν ὑπάρχει. ὡς καὶ τὸν μὴ πειθόμενον διά τινας οὐκ εὐτυχεῖς προλήψεις ὅμως ἠναγκασμένον ἐπιστομίζεσθαι, *Nusquam autem ſolet* Ariſtoteles *ab evidentiâ recedere. cumq́; duplex evidentia ſit ad faciendam fidem, una ex mente, altera ex ſenſu petita, qvum diſſerit cum iis, qui ſenſu vivimus, præfert eam, quæ à ſenſu proficiſcitur. Quam ob cauſam ineſt in ejus demonſtrationibus vis perſvadendi, quæ neceſſariò cogat: ut ſi quis non aſſentiatur illi propter opinionem aliquam non ſatis felicem, & idoneam, quæ animum illius occupaverit, cogatur tamen obmuteſcere, nec hiſcere audeat.* Mox addit: Πανταχοῦ δὲ ἐθέλει τῆς φύσεως μὴ ἐξίστασθαι, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπὲρ τὴν πρὸς τὴν φύσιν θεωρεῖ σχέσιν. ὥσπερ ὁ θεῖος Πλάτων ἀνάπαλιν κατὰ τὸ πυθαγόρειον ἔθος, καὶ τὰ φυσικὰ ἐπισκέπτεται καθὸ τῶν ὑπὲρ φύσιν μετέχουσιν, *Ubiq́; autem non ſolet à naturâ diſcedere: quin & eas, quæ ſupra naturam ſunt, conſiderat, referens illa ad naturam, ut divinus Plato contra, more Pythagorico, res naturales tractat, quatenus participes ſunt eorum, quæ ſunt ſupra naturam.* Tandem nonnullis interjectis: Ὅτι γὰρ, ait, οὐκ ἀσθενείᾳ λόγου τὸ ἀσαφὲς αὐτοῦ τοῖς συγγράμμασιν ἐπεγένετο, ἴσασι μὲν, καὶ οἱ μετρίως λόγῳ παρακολουθεῖν δυνάμενοι, ὅτι πολλὴν ἐμφαίνει λεκτικὴν δύνα-

μιν ἡ Ἀριστοτέλους ἑρμηνεία. ὡς δι' ὀλίγων πολλάκις συλλαβῶν παραδιδόναι, ὅσα οὐκ ἄντις ἐν πολλαῖς περιόδοις ἐδίδαξε. δῆλον δὲ καὶ ἐξ ὧν ἐν οἷς ἐβουλήθη σαφέστατα ἐδίδαξεν. ὡς ἐν τοῖς μετεώροις, καὶ τοῖς τοπικοῖς, καὶ ταῖς γνησίαις αὐτοῦ πολιτείαις, ἅπερ διὰ τὸ κοινότερον τῶν θεωρημάτων, σαφέστερον ἀπαγγεῖλαι σύνοιδε, *Quod verò nulla sermonis imbecillitate obscuritas ejus scripta invaserit, norunt quidem hi, qui vel mediocriter sermonem assequi possunt, quod multam præ se ferat dicendi facultatem Aristotelica elocutio, ut sæpe paucis syllabis longè plura tradat, quàm alius multis periodis queat tradere. Quod quidem patet etiam ex iis, in quibus, quæ voluit, clarissimè docuit, ut in Meteoris, in Topicis, in germanis suis Rebuspubl. quæ ob Theorematum quandam communitatem clarius eloqui novit.* Hæc Simplicius Prolegom. in Categorias.

XLI. His ita expensis, conseqvens est, ut applicationem faciamus, & videamus, qvinam ex libris Aristotelis, qvos hodie superstites habemus, sint acroatici, qvi verò exoterici. Habentur autem omnes in editione Græco-latinâ tàm Isaaci Casauboni, qvàm Gvilielmi du-Val Lutetiæ Parisiorũ excusâ. Ex qvibus an liber de Interpretatione, de Mundo, Libri Ethicorum ad Eudemum & magnorum moralium, liber item de Rhetorica ad Alexandrum, una cum libris de Plantis, porrò & liber de virtute, de coloribus, de ventorum regionibus, de his quæ sub auditum veniunt, deniq; & liber de Mysteriis Ægyptiorum sint Aristotelis, adhuc sub judice lis est. Unde & nos de iis hîc non multum erimus soliciti. Ex cæteris autem qvod liber Categoriarum & Problematum inter Exotericos sint numerandi, extra controversiam fermè positum est apud omnes. *Simplius* his addit & libros de *Historia Animalium*. Sed minus bene forsan. In his enim de rebus propositis nihil concluditur, sed sola φαινόμενα, ut ut satis accuratè, ipso *Aristotele*

V. Hist:

teste V. *Hist:* VI. & IV. Part: XIII, ponuntur, quæ prius cognoscenda erant, ut perceptis iis tantò faciliùs causæ intelligerentur, quæ tandem in libris de *Partibus* & *Generatione animalium* traduntur. Idem & de libro mirabilium auscultationum dicendum. Non enim nisi historicè ibi retulit, qvod ab aliis traditum adverterat, aut in scripta relatum. Residuos ad Acroamaticos revocant similiter penè omnes, exemptis solùm libris *Dialecticis*, *Rhetoricis*, *Poëtico* & *Politicis*, de qvibus adhuc hodiè disceptatur, sintne ad *Acroamaticos*, an ad *Exotericos* reducendi. Et qvidem, qvod ad *Dialecticam* attinet, in *Exotericorum* numerum eam hodie reponunt non pauci, iiq; Philosophi non infimæ classis. Atq; ne sine ratione id facere videantur, proferunt ipsius *Aristotelis* testimonium ex I. *Topic. cap. I.* §. *X*, ubi diserte eum scribere ajunt, *sibi constitutum esse de rebus ad Dialecticam pertinentibus, solùm ὡς τύπῳ differere, neq; τον ἀκριβῆ λόγον ἀποδοῦναι, exquisitam de iis rationem afferre.* At in *Acroamaticis* scriptis de rebus non ὡς τύπῳ, sed κατ' ἀκρίβειαν agi patet ex n. XXXVI. & seqq. Addunt, idem constare quoq; ex *Alexandro*, cum *Aristotelem* explicat, affirmantem, *Dialecticum de problematibus agere πρὸς δόξαν.* Subjungit enim, *ut fit & in hac πραγματείᾳ, & in Rhetoricis, & in aliis exotericis. Nam in his plurima & de Ethicis, & de Physicis ἐνδόξως, id est, consentaneè opinionibus dicuntur.* Alexandro, pergunt, consentit & *Gellius* lib. XX, qvando, sub persona Phavorini, ad exoterica expresè refert Sophisticam: At Sophistica à Dialecticâ non differt nisi προαιρέσει, ut ipse Philosophus docet IV. Metaph. II, cum ait: *Sophista à Dialectico differt non δυνάμει, sed solùm τῷ βίου προαιρέσει* q. d: Tantum potest Dialecticus, qvantum Sophista, differt tamen vitæ consilio, qvia videlicet Dialecticus non vult fallere, Sophista vult; perinde ut bonus Medicus

dicus differt à venefico. Ille enim æqvè ſcit, qvomodo miſcenda ſint venena, & qvæ cito, quæ lento abſumant gradu, ac veneficus, ſed ille nulli præbet, qvia vitæ conſilio impeditur (vult enim viri boni nomen tueri): veneficus autem non ſcit ſolùm eadem, ſed & facit. Jam enim pudorem, & honeſtatem devoravit. Hinc Dialectica & πραγματεία de rebus Sophiſticis non conſtituunt diverſas, ſed unam eandemq; diſciplinam. Quod & rationibus inſuper confirmari poteſt. Ejusdem enim facultatis eſt videre, qvid ſit verum, & qvid φαινόμενον, ſeu qvid ſimile ſit vero, ut docet Philoſophus *I. Rhet. I.* Quod ſi hoc, ſane ejusdem qvoq; facultatis erit videre, quid ſit ἀληθῶς ἔνδοξον, & quid φαινόμενον ἔνδοξον. Jam v. *Dialectica* eſt conſiderare, qvod eſt ἀληθῶς ſeu *reverâ* ἔνδοξον. Ejusdem igitur qvoq; erit conſiderare φαινόμενον ſ. *apparens* ἔνδοξον, qvo utuntur Sophiſtæ, ideoq; eadem utriusq; erit facultas. Accedit, quod Dialecticus è regione opponatur Analytico. Ut ergo hujus eſt, non demonſtrationum ſolum conſiderare naturam, ſed & ψευδογραφήματα explicare, qvæ in ſcientiis nobis imponunt: Sic & Dialectici erit, non ſolùm ſyllogismorū ἐνδόξων naturam exponere, ſed & ſophiſmata παρὰ τὴν διαλεκτικὴν examinare. Deniq; ſi principiū intueamur *primi Topic.* & finem *Elenchorum*, deprehendemus, exactiſſimè ea ſibi invicem reſpondere. Ita enim Philoſophus incipit 1. Topic: Ἡ μὲν πρόθεσις ἡμῶν μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος, ἐξ ἐνδόξων. καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες, μηθὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον, *Propoſitum hujus tractationis eſt, invenire methodum, per quam poſſimus argumentari de quovis propoſito problemate ex probabilibus, & ipſi, diſputationem ſuſtinentes, nihil dicamus repugnans.* Ultimo autem capite libri Elenchorum §. 3. ita concludit: προειλόμεθα μὲν οὖν εὑρεῖν τινα δύνα-

μιν συλλογιστικὴν περὶ τοῦ προβληθέντος ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἐνδοξοτάτων, *Instituimus invenire quandam facultatem syllogisticam de re ad differendum propositâ ex iis, quæ quàm maximè sunt probabilia*, sive opinionibus hominum consentanea. Qvod si verò Dialectica & Sophistica unam faciunt apud *Aristotelem* disciplinam, manifestum (ita concludunt illi) nimis est, si hæc ad exoterica Philosophi hujus scripta sit reducenda, quò eam reducit *Gellius*, illam similiter eô esse revocandam. Quod autem paulo post artibus acroamaticis *Gellius* adnumerat disceptationes Dialecticas, dicunt illi Analyticam eo nomine scriptorem hunc intellexisse.

XIII. Porrò idem *Gellius* ad *exoterica* scripta refert etiã Rhetoricam & *civilem scientiam*. Ita enim ille loqvitur: *Exoterica dicebantur, quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumq; rerum notitiam conducebant: Acroamatica autem vocabantur, in qvibus Philosophia remotior subtiliorq; agitabatur: quæq; ad naturæ contemplationes, disceptationesve dialecticas pertinebant*. Et sanè, si Dialectica libris annumeranda est Exotericis, erit inter eosdem sine dubio etiam censenda Rhetorica, qvippe qvæ ἀντίστροφος est Dialecticæ I. Rhet. c. I. Habetq; hactenus consentientẽ sibi Gellius etiam Qvintilianum, qvi lib. III. Instit. c. I Aristotelem etiam Rhetoricam pomeridianis horis docuisse scribit: *Eo*, inqvit, de Socrate verba faciens *jam seniore (octavum enim & nonagesimum impleverat annum) pomeridianis Scholis* (hoc est, dissertationibus, & prælectionibus) *Aristoteles præcipere artem Oratoriam cepit, noto quidem illo (ut traditur) versu ex Philoctetâ frequenter usus*, Αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν, *Turpe esse tacere, & Isocratem pati dicere*. De *Politicâ* autẽ idem cum Gellio sensisse videtur & *Plutarchus*. Ita enim ille in *Alexandro* verbis jam antè num. III. adductis: *Videtur Alexander*

non

non solùm Ethicum & Politicum sermonem didicisse, sed & secretiorum ac profundiorum doctrinarum particeps factus, quas ii viri propriè ἀκροαματικὰς aut ἐποπτικὰς *vocantes non efferebant in vulgus.* Qvibus verbis disertè Ethicos & Politicos sermones ἀκροαματικοῖς opponit. Et sanè se ἀκρίβειαν in libris Ethicis & Politicis non ita sectari, ut in aliis scriptis, passim innuere videtur ipse Aristoteles, velut in I. *Ethic. cap. I.* In acroamaticis autem scriptis semper τὸ ἀκριβὲς strictè observat. Hæc illi.

XLIII. Speciosa hæc sunt, fatemur, non tamen adeò firma & solida, ut plenè nobis hanc sententiam persvadere possint. Nam, qvod ad Dialecticam attinet, falsum est, *Aristotelem* in ea de cunctis solùm ὡς τύπῳ, & κατὰ δόξαν disseruisse. Verum è contrario est, qvod de iis, qvæ propriè & per se ad Dialecticam pertinent, ἀκριβῶς, & ad scientiam accomodatè disseruerit, qvod ex ipsâ tractatione cuiq; non perfunctoriè *Aristotelem* legenti manifestum esse potest. Et initio qvidem ipsemet statim in principio Topicorum dicit, *sibi propositum esse in istis libris invenire* μέθοδον *argumentandi de omni proposito problemate ex probabilibus* Methodicè ergò Dialecticam illis tradere secum constituit. Jam autem methodus, definiente Alexandro, Philopono, Eustratio, & aliis, nihil aliud est qvàm ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου, *habitus viam faciens cum ratione*, & qvidem non qvalicunq;, sed vim demonstrandi habente, sive à causâ desumptâ, qvemadmodum etiam Simplicius exponit Comm. in I. Phys. his verbis: Μέθοδός ἐστιν, ὥς φασιν Ἀλέξανδρος, πᾶσα ἕξις θεωρητικὴ τῶν ὑφ' ἑαυτὴν μετὰ λόγου, τουτέστι μετὰ αἰτίας, *Methodus, ut Alexander inquit, omnis est habitus cognoscitivus eorum, quæ subjecta ipsi sunt, cum ratione, id est, cum causâ.* Testatur ergò, Aristoteles ipse non obscurè analyticam se, seu demonstrativam & accuratam tractandi

ratio-

rationem etiam in Dialecticis fuisse seqvutum. Et sanè, cum objectum Dialecticæ, sive res tractationibus ejus substrata, sit problema, de qvo in utramqve partem opinionis ἐνδόξου ergo disputatur, res ipsa loqvitur, eum de illo non ὡς τύπῳ isthic egisse, considerando illud secundum communem solùm rationē (hoc enim est rem typo considerare, ut jam supra notavimus num. XXXVI.) sed qvæcunq; de illo speciatim dici possunt, persequi voluisse minutatim. Et capite qvinto qvidem *problema Dialecticū* dividit, aitq; aliud esse *accidentis*, aliud *proprii*, aliud *generis*, aliud *definitionis*, eorumq; sufficientiam accurate probat cap. IIX. Cap. VI. autem opponit sibi ipsi, cur non unū solùm problematis genus, nempe definitionis, constituerit, cum reliqva ad hoc satis commodè referri possint, & respondet: *Quamvis verum est, reliqua problemata ad problema definitionis posse suo modo revocari, non tamen propterea una in omnibus universalis methodus quærenda est. Neq; enim hoc facile est inventu: et si fuerit inventum, talis tamen methodus esset obscura, & inutilis ad propositam tractationem. At si propria singulorum definitorum generum methodus explicetur, facile erit ex iis, quæ cuiq; rei propria sunt, de re proposita disserere.* Constitutum ergo est Philosopho in Dialecticâ, non secundum communem qvandam & generalem tantùm rationem differere, sed ad speciales rationes vult descendere, & qvamq; problematum Dialecticorum speciem ex iis, qvæ non communia, sed cuiqve propria sunt, considerare. Qualis λόγος ἀκριβὴς dicitur *Philosopho III. Polit. c. IV*, qvo non in exotericis, sed in acromaticis solùm scriptis utitur, ut ostensum est num. XXXVI. & seqq.

XLIV. Deinde agit Philosophus in Dialecticâ suâ etiam de *principiis*, ex qvibus qvodq; problema astruendum

dum eſt, vel deſtruendum. Iſta principia vocat *προτάσεις*. Aſt rurſus non *ὡς τύπῳ*, ſed *ἀκριβῶς*, *articulatè*, & illa conſiderat, perſeqvens ſingula, qvæ circa inventionē illam notari posſunt. Quod ſibi propoſitum eſſe non obſcurè indicat lib. 1. Prior XXX. §. 14. dicens: *καθόλου quidem*, univerſaliter, ſeu *ὡς τύπῳ*, *qvomodo propoſitiones eligere oporteat, hactenus dictum eſt.* *Δι ἀκριβείας autem*, *hoc eſt*, accuratè & exqviſitè, *de eâ re egimus in πραγματείᾳ περὶ τὴν Διαλεκτικήν.* Hâc porro methodo monſtratâ, juxta eam ipſe indagat propoſitiones, cujusq; problematum generis proprias, ut principia habeat cuiq; generi partim confirmando, partim refellendo accommodata, idq; rurſus accuratè & exqviſitè. Inveſtigat enim eas non ex principiis communibus, ſed PROPRIIS, velut ex *definitione* accidentis, proprii, definitionis, generis. E. g. Omnes propoſitiones ad probandum & deſtruendū problema aliqvod *generis* deducit ex his qvatuor fontibus, ut obſervat ex *Themiſtio Averroes: Genus eſt inſeparabile à ſpecie: Genus debet dici de omnibus ſpeciebus, & ſpecierum ſpeciebus: Genus debet latius patere, quàm ſpecies ulla: &, Genus prædicatur in quid eſt.* At ſingula hæc habent ſedem ſuam in generis definitione. Reliqvorum problematum eadem eſt ratio. Nempe & horum loci ab illo ducuntur ex principiis non communibus, ſed propriis, definitionibus videlicet ſingulorū. Qvanqvam enim definitiones iſtæ communes ſint, ſi ad objecta reliqvarum diſciplinarum referantur (competit namqve definitio generis v. c. & animali in Phyſicis, & virtuti in Arithmeticis, & figuræ in Geometricis &c.) Dialectico tamen propriæ ſunt. Neq; enim definitio generis competit animali, quà animal eſt, nec virtuti, qvà virtus eſt &c. ſed cunctis his, quà genera ſunt. Generis a. conſideratio, quâ genus eſt, ſuo modo Dialectio propria eſt, nempe ut

ſpecta-

spectatur κτ̀ χῆμα τῆς πϱοσηγοϱίας, cujus ratio habetur in definitione generis Dialecticâ *I. Top. c. V. §. VI.* Neqve absurdum est, idem esse commune, & proprium, si respiciatur ad diversa. Quid enim magis vulgare, qvàm hoc? Esse coloratum, sali, sulphuri, bitumini, pomo & sexcentis aliis commune est: at proprium ejus, qvod particeps est luminis & umbræ, certo modo permixtorum. Ita habere appetitum sensitivum commune est eqvo, leoni, tauro: at proprium animalis. In aliis similiter se res habet. Atq; inde etiam fit, ut subjectum alicujus affectionis aliud primum dicatur, *quo* scilicet *primo sublato tollitur affectio*, aliud δεύτεϱον, sive *secundum*. I. Post: c. V. Non solùm autem in *affectionibus* id locū habet, sed & *principiis* affectionum. E. gr. Prima illa axiomata: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, &, *Quodlibet est, vel non est*, sunt communia, & in omnibus obtinent scientiis *I. Post. XI.* & tamen eadem quoq; sunt propria, si cum ente qvà ens est, qvod Metaphysica considerat, conferantur IV. *Metaph.* III. Deniqve idem & definitionibus usu venit. Qvis enim negâret definitionem hanc, vivens sensitivum, esse & communem & propriam? communem qvidem, si ad species animalis referatur, v. c. ad hominem, eqvum, piscem, cancrum &c: propriam autem, si ad animal ipsum. Nulli enim competit, nisi qvod animal est reverâ. Eodem igitur modo, etsi generis, proprii, accidentis &c. definitiones, si ad ea referantur, quæ in scientiis aliis considerantur, sint communes pluribus, tamen si ad ipsum genus, proprium &c. quatenus ea per se, seu quà talia, spectantur, & πάθη dispositionum istarum, qvæ proximè ex istis definitionibus, velut principiis, deducuntur, referantur, non communes amplius, sed propriæ sunt. At hoc pacto eas Dialecticus contemplatur. Ex propriis igitur, ut dixi, principiis *Ari-*

stoteles deducit locos, qvibus Dialecticum vult uti. Ex propriis autem principiis ubi res considerat, nisi in scriptis acromaticis? Tandem ubi de officio opponentis & respondentis, item de modo respondendi ad fallaces Sophistarum strophas disserit, eandem plane servat docendi rationem, neq; ἐκ τῶν δοκούντων, non ex communibus, sed ex propriis. Unde passim aliorum solutiones reprobat, qvæ rei accommodatæ non sunt, velut cap. XXII. & XXIV. &c.

XLV. Quid plura dicam? Ipse *Alexander comm: in Sophist. Elench. c. ult.* fateri cogitur, *Aristotelem* non populariter, sed accuratissimâ methodo Dialecticam suam conscripsisse. Rogat ibi Philosophus Lectorem, *ut veniâ se dignari velit, si quædam ad complementum artis Dialecticæ pertinentia non viderit, quod artes non simul inveniantur & perficiantur*, sed plus videant oculi, qvàm forte oculus viderit. Hunc igitur locum exponens Alexander, addit, *eleganter hoc dictum & modestiæ Aristotelicæ signum evidentissimum. Nihil enim huic doctrinæ deesse, sed raro exemplo simul hoc ædificium cœptum, & perfectum esse.* Hæc ille. Idem de Dialecticâ Aristotelis fermè judicat & *Diogenes Laërtiꝰ in vitâ Aristotelis*. Dicit enim de πιθανῷ sive *persvadibili* (utitur autem hâc voce pro ἐνδόξῳ, ut passim qvoq; Plato) in Dialecticâ ita disseruisse, ut nihil eorum omiserit, quæ vel ad inventionem, vel ad judicium, vel etiam ad usum pertinent: Οὐδὲν, inqvit, ἀπολειπόμενος, ὅτι τῶν πρὸς εὕρεσιν, ὅτι τῶν πρὸς κρίσιν, ὅτι μὴν τῶν πρὸς χρῆσιν. Qvæ ipsa apud Hesychiū Milesium qvoq; leguntur, itidem in Aristotelis vitâ. Quod si verò ita de rebus Dialecticis disseruit Philosophus in Topicis suis libris, ut nihil doctrinæ isti desit, qvomodo ibi ὡς τύπῳ tantùm sive rudi Minervâ de iis egisse dici potest? Neq; officit his, qvod Dialecticæ finis tamen ab Aristotele *opinio* constituatur: acroaticarum autem disciplinarum fi-

nis ſit veritas. Aliud enim eſt Dialectica ars, unde qvis abſolutè Dialecticus vocatur: aliud Dialectica ſcientia. Illa pro fine habet opinionem: hæc autem veritatem penſi habet circa ea, qvæ ad rationem opinionis pertinent, eiq; per ſe inſunt, qvæq; ad eam progignendam in animis aliorum couducunt, & qvidem non rudi Minervâ, ſed accuratè. Uti enim aliud eſt de veritate diſſerere, aliud *κατ' ἀλήθειαν*, *ſecundum veritatem*, qvandoqvidem de veritate etiam ex endoxis poteſt diſputari: ita & aliud eſt de opinione verba facere, aliud, ſecundum opinionem. Poteſt enim etiam de opinione agi ſcientificè & *δι' ἀκριβείας*. Atq; hoc ipſum ſcientia Dialectita præſtat.

XLVI. Simul vero hinc patet, locum ex *I. Topic. I.* ſupra adductum non poſſe de omnibus iis, qvæ in Dialecticis ab *Ariſtotele* proponuntur, intelligi, qvaſi de ſingulis his ibi ſolùm egerit *ὡς τύπῳ*. Sic enim apertè ſibi Ariſtoteles contradixiſſet, qvippe cujus mens iſto caſu hæc foret, ſe de nullâ re in Dialecticâ *τὸν ἀκριβῆ λόγον* allaturum; cum ipſemet alio loco, nempe I. Priorum XXX. §. ult. ſe in Dialecticâ *πραγματεία* de aliqvâ re, nempe de propoſitionibus eligendis, *δι' ἀκριβείας*, *accuratè*, tractâſſe, totidem verbis ſcribat. Non igitur de omnibus, qvæ in Dialecticâ conſiderat, accipienda ſunt illa verba Philoſophi, ſed de iis ſolùm, qvæ ad doctrinam de ſyllogismo in genere pertinent, & plerasq; ſyllogiſmorum ſpecies, ante enumeratas, Dialectico excepto. Definire conſtituerat enim ſyllogismum, & differentias ejus, ut tanto faciliùs innoteſceret, qvid ſit ſyllogismus Dialecticus, §. 2. Hinc definierat porrò demonſtrationem §. 4. ſyllogismum *ἐριστικὸν* §. 7. & paralogismum §. 9, eoq; facto addit §. 10: *Species igitur ſyllogismorum, ut eas typo complectar, ea ſunto, quas dixi. Univerſaliter autem loquendo de omnibus, tàm dictis, quàm*

 post

post hac dicendis, puta de speciebus syllogismi, qvarum rationem & naturam propter Dialect cum syllogismum exposuerat, eatenus, id est τύπῳ, rudi, & pingui Minervâ, *nobis definitum esto, propterea, quod de harum rerum nullâ exquisitè differendi consilium cepimus, sed typo solùm percurrere voluimus, omnino sufficere putantes secundum propositam methodum, si horum unumquodq; possit quomodocunq; notum fieri.* Dialectico enim non est opus accuratâ syllogismi in genere, omniumq; ejus specierum, cognitione, sed communi definitione, & aliquâ divisione contentus est, adeò, ut, qui exquisitam syllogismi explicationem huc referre velit, non immerito ἐκβαίνειν τὸν ὅρον τῆς διαλεκτικῆς, *terminos Dialecticæ excedere vel transgredi* dicatur *Alexandro* in comm: At inde non seqvitur, Dialecticam non esse scriptis Acroamaticis annumerandam. Quoties enim contingit, ut in scientiâ aliquâ qvædam ὡς τύπῳ explicentur, scilicet qvæ ad istam scientiam propriè non pertinent, sed solùm melioris explicationis gratiâ ex aliâ afferuntur, aut etiam talis finis gratiâ considerantur, ad qvam exqvisita & accurata istorum cognitio necessaria non est? At ideo scientia talis non statim ἐξωτερικῶς tradita est, si modò cætera, qvæ propriè & per se ad disciplinam eam pertinent, ἀκριβῶς considerentur. Benè dicit *Philosophus* lib. I. Ethic. cap. VII: *Meminisse oportet ἀκρίβειαν illam enucleatã non per æquè in omnibus esse exigendam, sed in unaquaq; re pro naturæ subjectæ ratione, quoad docendi via ac ratio* (μέθοδος) *id patitur.* Et mox id ipsum aptissimo exemplo illustrat: *Angulum*, dicit, *rectum considerat Geometra, considerat & faber, sed ille, quàm accuratissimè: est enim contemplator veritatis; hic quantum ad ædificandum utilis est ejus cognitio.* Quod quidem & verissimum est. Nam & hinc aliter de angulo apud *Euclidem*, aliter apud *Vitruvium* disputatur.

Qvis

Qvis autem ideò simpliciter dixerit, ea quæ in scientiâ Architectonicâ per se considerantur, ibi ἐξωτερικῶς, & non κατ' ἀκρίβειαν considerari? Non enim necessarium ἀκρίβειαν in scientiis, præsertim effectivis, qvalis est Architectonica, tuendã, ut omnia, quæ in iis quacunq; ratione, sive per se, sive per accidens (vid. II. Top. III, 3.) proponuntur, ἀκριβῶς tractentur; sed sufficit, si ea accuratiùs pensiculentur, quæ per se ad tales scientias pertinent, & qvatenus ad finem illarum faciunt obtinendum. Fine enim præcipuè metimur ea, quæ ad ejusmodi pertinent disciplinas: qvà de re legi potest Aristoteles & *I. Eud: VIII. & II. c. XI.* Jam autẽ & Dialectica est scientia effectiva: sufficit igitur ad id, ut ἀκροαματικῶς tradita dicatur, si ea exqvisitè ibi pertractata sint, quæ per se faciunt ad finem ejus obtinendum. Ad id autem non reqviritur accurata syllogismi notitia v. g. qvomodo fiant syllogismi, qvotq; in figuris, & qvot singuli sint, qviq; demonstrativi, & qvi non, qvi perfecti, & qvi imperfecti, qvæ syllogisticæ, & asyllogisticæ complicationes, & id genus alia, quæ in prioribus, & Posterioribus Analyticis fuse sunt expe[...]. Itaq; de his Aristoteles qvoq; in Dialecticâ agere noluit: sed nec citra ἀπαιδευσίαν de iis agere potuit, neq; tamen propterea inter exoterica scripta Dialectica ejus numerari debet, qvoniam de iis, qvæ ad finem Dialecticæ obtinendum necessaria sunt, ἀκριβῶς, & ex propriis principiis deprehenditur disseruisse.

XLVII. Qvod si porrò *auditores*, in qvorum gratiam Dialecticam suam conscripsit Philosophus, spectemus, nostra sententia novo argumento confirmatur, nempe, scriptum illud non esse ἐξωτερικὸν, sed ἀκροαματικόν. Exaratum enim illud esse in gratiam domesticorum & genuinorum auditorum, probari satis perspicuè potest ex libro Sophisticorum Elenchorum (quem cum Topicis libris continuo

tinuo suo cohærere, eandemq; disciplinam facere ostensum est n. XXXIX.)c. ult. §. 10., ubi *Aristoteles*, universam Dialecticam suam concludens, ita loqvitur: *Si igitur vobis nostra inspicientibus videtur methodus hæc non tàm perfecta esse, atq; aliæ πραγματεῖαι, quæ ex traditione sunt auctæ, vestrum & ἀκροωμένων munus erit, τοῖς μὲν παραλελειμμένοις τῆς μεθόδου, συγγνώμην ἔχειν, ea, quæ ad hujus methodi consummationem sunt prætermissa, veniâ dignari.* Hæc ille. Quibus sanè apertè Dialecticam suam non qvorumvis subjicit judicio, sed solùm ἀκροωμένων. Qvi autem sunt ἀκροώμενοι illi? Non certè vulgus hominum, sed οἰκεῖοι ἀκροαταὶ, qvi soli instructi sunt facultate judicandi, num benè & sufficienter doceat scientificus Doctor, nec ne, I. Part. An. I, qvi & ἁπλῶς, καὶ καθ' ἐξοχὴν auditores sunt, ut ex *Suida* diximus supra. Hos intelligere *Aristotelem*, vel ex eo colligitur, qvod eos idoneos judicet, qui inspiciant alia ejus scripta exqvisitè elaborata, qvæ sine dubio acroamatica sunt, & cum his Topicos conferant libros. At illorum recondita sapientia longe excedit captum vulgi. Unde ipsemet edita ea, & non edita esse rescribebat *Alexandro*, qvod intelligibilia solùm essent τοῖς αὐτοῦ ἀκούουσιν, *auditoribus suis*, nempe genuinis, ut ex Gellio retulimus n. XL. Horum ergo judicio Dialecticam suam submittit Philosophus, adeoq; ad eos opus hoc dirigit, non ad hominum vulgus. Atq; hinc & in his libris eandem dicendi formam adhibet, qvâ in acroamaticis aliàs uti solet, nempe concisam, & contractam, licet adeò obscurus ubiq; in Dialecticis non appareat, ac in aliis scriptis, qvod in talibus hîc rebus tractandis versetur, qvæ faciliores sunt intellectu. Notavit hoc, qvod de modo loqvendi, etiam in Dialecticis *Aristoteli* usitato, monuimus, qvoq; *Galenus*, exponens verba ipsius de Sophismatis in dictione occurrentibus ex Elenchis ejus.

Dixerat

Dixerat Philosophus sextuplicia esse sophismata in dictione occurrentia, homonymiam, amphiboliam, compositionem, divisionem, accentum, & figuram dictionis. His modis enumeratis deinceps ostendit, nullum esse à se prætermissum, neq; per se aliqvod in dictionem sophisma cadere extra propositos modos. Verba ejus, qvibus id innuit, hæc sunt: *Hujus rei fides fit inductione, & syllogismo, cùm, si sumatur alius quispiam, tùm etiam quia tot modis possimus iisdem nominibus, & orationibus non idem significare.* Hæc verba, qvoniam nimis concisa, atq; hâc de causâ obscura sunt, explicanda sibi sumit *Galenus* in peculiari libro *de Sophismatibus in verbo* seu dictione *contingentibus*. Simul autem hâc datâ occasione consvetudinis meminit, qvam Aristoteles in loqvendo tenere soleat in scriptis ad genuinos Auditores directis: Συνηθὲς δὲ, inqvit, τὸ τοιοῦτον τάχος τῷ φιλοσόφῳ καὶ καθάπερ ἀπὸ σημείων ἐκφέρειν τὰ πολλὰ, καὶ διὰ τὸ πρὸς τοὺς ἀκηκοότας ἤδη γράφεσθαι. *Usitata est & solemnis Aristoteli dicendi brevitas, soletq; velut per signa exprimerere multa, quia ad hos, qui jam audiverant, scribit.* Qvoniam ergò eodem Philosophus in Sophisticis Elenchis ad Dialecticam, ut sæpe diximus, pertinentibus, utitur loqvendi genere, qvo in libris ad Auditores genuinos directis uti solet, qvis amplius dubitaverit Dialecticam in numero acroamaticorum ejus scriptorum collocare?

XLVIII. Neq; aliud ex verbis *Alexandri* num. XLI. adductis extorqveri potest. Illud enim, *in aliis exotericis*, qvod addunt aliqvi recentiores, apud ipsum *Alexandrum* in omnibus exemplaribus, præsertim vetustioribus, non reperitur. Ut hoc planum fiat, placet ex his adscribere locum integrum, licet aliqvanto prolixior sit. Ita ergo ille habet: Εἰπὼν τῶν προβλημάτων δὲ καὶ προτάσεων τὰ μὲν ἠθικὰ εἶναι, καὶ τὰ φυσικὰ, τὰ δὲ λογικὰ, προστίθησιν, ὅτι τῷ μὲν φι-

λοσόφῳ κατὰ τὸ ἀληθὲς τὴν περὶ τούτων γίνεσθαι ἐξέτασίν τι καὶ πραγματείαν. καθ' ἕκαστον γὰρ εἶδος τῶν προειρημένων τοῦ ἀληθοῦς χάριν εὑρέσεως τὴν κατὰ ταῦτα πραγματείαν ποιεῖται. Ἐν μὲν ταῖς πολιτικαῖς ἀκροάσεσι περὶ τῶν ἠθικῶν ὥστε τὰς ἀληθῶς πρὸς αἵρεσιν, καὶ φυγὴν συντεινούσας προτάσεις ἐκλέξει, καὶ περὶ τῶν ἀληθῶς γνωστῶν ἐν ταῖς θεωρητικαῖς τε καὶ φυσικαῖς τὰ ὡς ἀληθῶς ἀληθῆ ζητήσει. λογικῶς δὲ ἢ διαλεκτικῶς πρὸς δόξαν, ὡς ἔν τε ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς, καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς, καὶ γὰρ ἐν ἐκείνοις πλεῖστα, καὶ περὶ τῶν ἠθικῶν, καὶ περὶ τῶν φυσικῶν ἐνδόξως λέγεται, *postquam*, ait, *dixisset (Aristoteles) problematum & propositionum alias esse morales, alias naturales, alias Logicas, addit, Philosopho quidem secundum veritatem de his qværendum & agendum esse. Secundum singulas enim ex dictis speciebus veritatis inveniendæ gratiâ de his talibus tractat. In Politicis quidem auscultationibus de moralibus, unde ibi propositiones eliget revera ad electionem seu persecutionem & fugam conferentes. De verè cognoscibilibus autem in Theoreticis & Physicis tanquam reapse vera quæret. Logicè autem, & Dialecticè de his disserit ur ad opinionem, ut in hâc ipsâ disciplinâ, & in Rhetoricis, & in exotericis. Etenim plurima in illis, & de moralibus, & de naturalibus probabiliter dicuntur.* Hæc *Alexander.* Qui sanè his verbis πραγματείαν Dialecticam & Rhetoricam non exotericis annumerat scriptis, sed iis potius contradistinguit. Neq; enim ait, ἐν ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ, καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς, καὶ ἄλλοις ἐξωτερικοῖς, sed ἐν ταύτῃ &c. καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς. Qvomodo & vetus interpres legit. Ita n. ille locum hunc reddidit: *Dialecticus de problematibus Physicis & Ethicis differit ad opinionem, ut in eâdem* (hac ipsâ) *tractatione & in Rhetoricis, & in exterioribus, extrinsecisve.* Illud igitur, ἐν ἄλλοις, ab aliis adjectum. Quid? qvod de rebus Physicis & Ethicis solùm *Alexander* dicit, in Dialecticâ

πρα-

πραγματεία Philosophum ἐνδόξως differere, qvarum quidem ratione Dialecticam inter scripta acroatica numerari posse haud refragamur. Hoc tamen non obstat, qvo minus aliâ de causâ scriptis illis annumerari posit. Res enim *Physica* & *Ethica* per se in Dialecticâ πραγματεία seu scientiâ non considerantur, cujus in genere est ostendere modum, qvo de unoqvoqve problemate proposito disputari posit ex probabilibus, qvod aliqvando declarat exemplis naturalibus & Ethicis, differens de iis ex *endoxis*, f. probabilibus, ut horum rationem tantò magis manifestam reddat. De iis interim, qvæ per se ad Dialecticam disciplinam pertinent, non ex *endoxis*, sed ex veris, propriis, domesticis principiis differit, non πρὸς δόξαν, *accommodatè ad opinionem*, sed πρὸς ἀλήθειαν, *ad veritatem*; non ὡς τύπῳ, sed ἀκριβῶς, omnia minutatim perseqvens & nihil eorum omittens. Qvod ipse *Alexander* alibi fatetur, ut vidimus num. XLV.

XLIX. Ad *Gellium* qvod attinet, is parùm sibi constare videtur. Refert enim, ut vidimus, doctrinam de *Sophisticis Elenchis* ad scripta exoterica, Dialecticas autem disceptationes ad libros acroamaticos, cum tamen utraqve doctrina pertineat ad eandem δύναμιν, ut illi ipsi concedunt, cum qvibus nobis nunc controversia intercedit, qvod, & in super probatum jam ante est num. XLI. Quod autem existimant, per *Dialecticas* disceptationes Auctorem hunc intelligere *Apodicticam* seu *Analyticam*, mera conjectura est. Sanè de *Aristotelis* doctrinâ & libris cum ageret *Gellius*, decuit eum etiam vocibus in eâ significatione uti, in quâ uti iis Philosophus hic consvevit. At ille voce *Dialecticæ* nunquam pro *Analyticâ* utitur, sed *Analyticam* potius ei passim opponit. Adducunt quidem nonnulli locum ex *Rhetoricâ Aristotelis*, in qua Dialecticam pro Analyticâ usurpatam existimant esse. Locus ita habet Cap. 1. Lib. I: Τὸ ἐνθύμημα, συλλο-

γισμός τις· περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος, τῆς διαλεκτικῆς ἐστὶν ἰδεῖν, ἢ αὐτῆς ὅλης, ἢ μέρους τινός, *Enthymema est syllogismus quidam; quæ autem ad syllogismum pertinent, æquè omnem, Dialectica est videre, vel ipsius universæ, vel partis alicujus.* Hic, inquam, *Dialecticam* pro *Analytica* esse positam ajunt, non pro *Topicâ*, quia de syllogismo omni non in *Topicis* agitur, sed in *Analyticis*. Verum non in omnibus codicibus verba hæc, περὶ δὲ συλλογισμοῦ &c. leguntur. *Muretus* certè ea non agnovit. Unde nec Latinè ea reddidit, cæteris egregiè translatis. Accedit, quod cùm *Aristoteles* aliquoties in hoc capite *Dialecticam* nominârit, in omnibus tamen reliquis locis per eam nihil aliud intellexerit, quàm *Topicam*, ut & alibi semper, velut l. *Prior*. XXXIV. IV. *Metaph*. *II*. &c. Qui ergo in hoc solo loco, sensus proprii immemor, pro *Analyticâ* eam usurpasset? Verisimile ergò est, hæc verba non esse *Aristotelis*, sed aliunde irrepsisse, inprimis cum planè non cohæreant cum sequentibus, neque quicquam faciant ad *Aristotelis* scopum. Is enim est, ostendere, quid requiratur in Oratore, nempe inter cætera, ut enthymematicus sit, & consequenter ex quibus, & quomodo fiat syllogismus, perspectum habeat, cum Enthymema sit syllogismus quidam. Unde autem petere oporteat Rhetorem ea, quæ de syllogismo nosse debet, id hoc loco ostendere ipsi propositum nondum erat, sed id demum ostendit cap. II. & IV. Nondum ergo evictum est, Dialecticam inter exoterica scripta esse numerandam, sed contrarium potius hactenus est demonstratum.

L. Quod autem de *Dialecticâ* modo diximus, idem & de Rhetoricâ, quæ consobrina velut Dialecticæ est, dicendum. Quamvis enim in eâ quoque *Philosophus* non ostendat modum concludendi ex necessariis & οἰκείοις principiis (ex talibus enim non *fides* nascitur, qui finis est *Rhetoricæ*, sed *scientia*,

entia, fides non πιστευτική, ſed διδασκαλική, uti hæc diſtinguit *Plato in Gorgia*) ſed ex *veriſimilibus* potius, quæ ſunt ἔνδοξά τινα, nempe τὰ δοκοῦντα *omnibus* aut *plurimis*, II. *Rhet*.XXII. & *ſignis*, quomodo ſcilicet his uti debeat Orator, ut ex illis perſuadeat quidpiam hominibus non planè rudibus, ſed politioribus, qui in rebus publicis occupati ſunt & rationibus moveri poſſunt, non ſolùm ad opinandum, verum id eſſe, quod Orator dicit, ſed & ad agendum præterea quid, aut omittendum; de omnibus tamen his illic non παχυλῶς agit, ſed ἀκριβῶς, ſigillatim omnia perpendendo ex principiis non extraneis, ſed propriis & domeſticis, inprimis ex *fine*, qui, ut in aliis effectivis diſciplinis, ita & in Rhetorica primi principii vicem ſubit. Patebit id facilè unicuique, qui diligenter Rhetoricam ipſius perluſtrârit & modum tractandi ponderarit, quo uſus eſt illic. Interim non negamus, eſſe ibi non pauca, quæ rudi Minervâ pertractentur, veluti de *felicitate*, de *virtutibus*, de *apparatu pecuniarum*, de *bello & pace*, de *cuſtodia regionis* & ſimilibus aliis; de iis, inquam, & ſimilibus *Ariſtoteles* in *Rhetorica* ἀκριβῶς & κατὰ τὴν ἀλήθειαν, *accuratè & ad veritatem accommodatè*, non diſſeruit, διὰ τὸ μήτε τῆς ῥητορικῆς εἶναι τέχνης, ἀλλ' ἐμφρονεστέρας καὶ μᾶλλον ἀληθινῆς, quam cauſam ipſe adducit I.Rhet. cap.IV. *propterea quod Rhetorica artis ejus illud acumen non ſit, ſed ad aliam, cujus verior harum rerum intelligentia propria eſt, pertineat*, nempe ad *Politicam*, ex quâ, ſi quis huc tranſferre vellet cuncta, quæ de his rebus enucleatè ibi diſputata ſunt, *is imprudens naturam Rhetoricæ extingueret ac deleret, illa eam concinnans, ac ſi non τῶν λόγων* ſed τινῶν πραγμάτων, *rerum quarundam, ſcientiam & intelligentiam traderet*, ut eodem loco addit *Philoſophus*. Agit itaque de his quidem in Rhetoricâ ſuâ, ſed ὡς τύπῳ, & quantum ad finem Oratoris ſufficit, magis accuratam &

exquisitam eorum tractationem Politico relinquens. At de aliis, quæ ad modum dicendi Oratori proprium per se pertinent, non superficiarià ratione, sed *κατ' ἀκρίβειαν* disseruit, nihil eorum prætermittens, sed sigillatim cuncta explicans: cuncta, inquam, quæ per se usui esse possint ei, qui perpetuâ oratione aliquid multitudini politorum hominum persuadere meditatur. Unde & ipse *Cicero lib.2. de Oratore inter Aristotelem & germanos hujus artis magistros hoc sibi* ait *videri interesse, quod ille eâdem acie mentis, quâ rerum omnium vim naturamque viderat, hæc quoque aspexerit, quæ ad dicendi artem pertinerent.* Et sanè, quod *Aristoteles* non ad opinionem, sed veritatem composuerit Rhetoricam suam, pro cynosurâ habens ipsam rerum, quas illic pertractat, naturam, non obscurè ipsemet docet III. Rhet.I. quum repetens ea, quæ hactenus inculcaverat, ait: *Primùm quæsitum à nobis est, secundum naturæ ordinem, κατὰ φύσιν, quod naturâ primum esse captum est, ὅπερ πέφυκε πρῶτον, ipsa scilicet res, ex quibus τὸ πιθανὸν,* sive *persuadibile, exsurgit.* De *elocutione* quoque, quæ Rhetoricæ propria est, se *κατ' ἀκρίβειαν* illic agere propositum habuisse, sub finem ejusdem capitis indicat, dicens: *Quare apparet, quod non omnia, quæcunque de elocutione dici possunt, exactè hîc sint explicanda, ἀκριβολογητέον, sed de ejusmodi, qualem diximus*, eâ videlicet, quam Rhetorica habet peculiarem. Nec obstat, quod Aristoteles hoc ipso capite, Rhetoricam πραγματείαν dicit πρὸς δόξαν esse directam. Agit enim de his ipsis, quæ ad δόξαν ejusmodi, qualem pro fine habet ars Rhetorica, hoc est πίστιν, sive *fidem*, referuntur, non κατὰ δόξαν, sed ἀλήθειαν, non accommodatè ad *opinionem*, sed *veritatem*. Uti enim etiam de falsis verum dici potest: ita & nihil prohibet, quò minus etiam de iis, quæ ad opinionem & fidem directa sunt, secundum veritatem & ἀκρίβειαν ex iis, quæ utrisque

pro-

propria sunt, adeoqve per se insunt, procedatur, ut, quantum ad opinionem attinet, observavimus jam ante.

LI. Sed dicet quis fortè: At non egit *Aristoteles* in Rhetoricâ suâ de *memoriâ & pronuntiatione*, quæ tamen & ipsæ in partibus orationis censentur non à *Cicerone* solùm lib. I. de Invent. num. XI. lib. I. de Oratore num. XXXVII. & num. XLIII. sed & *Quintiliano* lib. III. cap. III. nec non *Boëthio* lib. IV. Comment. in Topic. Ciceronis. Quin & de elocutione non proposuit omnia, quæ illic videntur esse proponenda. Nihil enim ibi de *tropis*, nihil de *figuris* tàm *dictionum*, quàm *sententiarum*. Verùm sub judice adhuc lis est, num *memoria & pronuntiatio* sint Oratoriæ partes. *Aristoteles* sanè ipse non nisi tres ejus partes agnoscit. *Tria*, inquit lib. III. Rhet. cap. I, *sunt, quæ oportet præcipere de Oratore. Unum quidem, ex quibus fides est: alterum autem de elocutione: tertium, quomodo conveniat ordinare, sive disponere partes orationis.* Quam partitionem etiam ratio evincit. *Quemadmodum* enim, ut hoc de suo nobis largiatur Dionysius Halicarnasseus, *in tribus Architectura consistit, videlicet in comparandâ materiâ ad structuram idoneâ, in aptâ materiæ coagmentatione, ac ædificii expolitione: ita & Oratoria versatur in argumentorum excogitatione, quod inventionis est: inventorum porrò collocatione, quod dispositionis est: & dispositarum exornatione, quod est elocutionis.* Unde & *Ausonius* ad Gratianum: *Quis aut dicenda prudentius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit? Memoria* autem necessaria Oratoriæ pars non est, cum etiam de scripto oratio possit recitari. Quod legatis olim & judicibus fuisse familiare, ex Cicerone Philipp. X. Livio lib. XXIII. & aliis constat. Tacemus, non deesse, qui existiment, non esse memoriæ artem quandam, sed totam esse naturæ.

In quâ ſententiâ olim fuit etiam *Flavius Philoſtratus*, qui libro primo de vitis Sophiſtarum, in vitâ Dionyſii, his utitur verbis: τέχναι μνήμης οὔτε εἰσὶν, οὔτ᾽ ἂν γένοιτο· μνήμη μὲν γὰρ δίδωσι τέχνας· αὐτὴ δὲ ἀδίδακτος, οὐδεμιᾷ τέχνῃ ἁλωτός· ἔστι γὰρ πλεονέκτημα φύσεως, ἢ τῆς ἀθανάτου ψυχῆς μοῖρα, *Memoriæ artes neque ſunt, neque unquam fuerunt. Artes enim memoria dedit, ipſa verò ne ullâ quidem arte comprehendi poteſt: ſiquidem eſt peculiare naturæ donum, vel immortalis animæ pars.* Quæ tamen ipſimet arbitramur tibicine niti minus firmo. Nihil enim impedit, quo minus etiam id, quod naturæ eſt, ab arte juvetur, quò ad plenam ſuam perveniat perfectionem, ſicuti & canere, ſaltare, & ipſum loqui, à naturâ ſunt, & tamen τὸ εὖ εἶναι, ſive, ut rectè & decorè fiant, arti ferunt acceptum; adeò ut hic obtineat, quod *Hermogenes* ſcribit lib. I. de formis Oratoriis cap. I: Κράτιστον μὲν γὰρ εἰ καὶ τὰ τῆς φύσεως συλλαμβάνοιτο· πλεῖον γὰρ ἂν οὕτως ἀγαθόν τις ἐργάσαιτο, *Optimum quidem eſt, quum dona naturæ adſunt & indoles eximia: plus tamen boni efficietur accedente artis ope.* Atque hinc paſſim etiam *Ariſtoteles* ipſe ſuppeditat adminicula aliqua, quæ memoriæ inſervire queant. Veluti lib. III. de Anima cap. III. text. 153. ubi *locorum & imaginum memoriæ adminiculantium* injicit mentionem. Item lib. de memoria & reminiſcentiâ cap. I. ubi *meditationes* ait *memoriam conſervare reminiſcendo. Qui enim reminiſcitur, imaginem ſæpè ſpeculatur non ſecundum rem, ut res, ſed ut imago eſt*, quod addit cap. II. ſæpius autem ſpeculando imagines fortius eas memoriæ imprimimus. Quò pertinent & iſta Senecæ ex lib. III. de beneficiis cap. I: *Quicquid frequens cogitatio exercet, & renovat, memoriæ nunquam ſubducitur: quæ nihil perdit, niſi ad quod ſæpè non reſpexit.* Porrò eodem capite ſecundo libri de memoria & reminiſcentia *facilè memoriâ contineri*

ſcribit,

scribit, *quæ certum aliquem inter se ordinem habent, ut figuræ Mathematicæ.* Et Lib. III. Rhetor. IX. *elocutionem* dicit *esse optimam, quæ numeris constat, quod memoriæ sit adjumento. Ut enim facilius versus ediscimus,* ait & *Quintilianus, quàm prosam orationem, ita & prosam vinctam facilius, quàm dissolutam.* Denique, ne eamus longius, in Problematibus sect. XXX. probl. V. *facilius* inquit *nos ea meminisse valere, quæ mane percipimus, quod magis vegeti tum spiritus existant.* Hæc & alia sparsim in scriptis suis suggerit nobis memoriæ subsidia, quæ collectim in unâ aliquâ scientiâ tradi possunt. Verum ea non est Oratoria, sed peculiaris aliqua disciplina, inserviens non Oratoribus solùm, sed & Jurisconsultis, Poëtis, Histrionibus, quin & scientiarum Doctoribus, qui memoriter profitentur, unde mutuo accipere non minus Oratorem, quàm reliquos istos, oportet, quæ in memoriæ profectum vult vocare, perinde, ut ex Grammaticâ petit & ipse, quæ ad syntaxin referuntur. Ex quo & *Cicero* rursum in Oratore num. IX. de *orationis & actionis modo* agere proponens nihil de *memoriâ* isto loco sibi agendum esse dicit, *quod communis ea sit artium multarum.* Sed & alii ex veteribus in Oratoriâ facultate tradendâ memoriam præterierunt. Veluti *Stoici*, ex quorum sententiâ Diogenes Laertius in vitâ Zenonis lib. VII. quatuor constituit Rhetoricæ partes, videlicet *inventionem, elocutionem, dispositionem & actionem. Hermogenes* quoque memoriam neglexit: nec non *Aphthonii* Interpres, qui initio Prolegomenon scribit: *Quot sunt opera Oratoris? cogitare, invenire, disponere argumenta & agere.*

LII. *Pronuntiationem* porrò vel *actionem* (Græci ὑπόκρισιν vocant) quod attinet, quæ nihil aliud est, quàm *moderatio vocis & corporis ex rerum & verborum dignitate*, ut eam describit Auctor librorum de Inventione ad Herennium

nium

nium; vel, ut alii. *vocis & corporis apta pro rerum affectuumque varietate conformatio* (hæc enim duo ad eam requirit etiam *Dionysius Halicarnasseus* lib. de admirandâ vi dicendi in Demosthene cap. LXIII. *τὰ πάθη*, inquam, *τῆς φωνῆς, καὶ τὰ σχήματα τοῦ σώματος, vocis affectiones & corporis figuram:*) non negamus quidem eam multum valere in oratione. Fas enim est in eâ vocem moderari pro rerum varietate, ut nunc ea intendatur, nunc remittatur, nunc mediæ sit conditionis. Sed & in tonis decet harmoniam observare, ut nunc gravis, nunc acutus, nunc medius adhibeatur. Non parum quoque elegantiæ accedit orationi, si rythmus sive numerus conveniens in periodis se prodat, atque gestus ejusmodi insuper usurpentur, qui voci sint conformes. Verum tamen necessaria ideò pars Oratoriæ pronunciatio non est. Imò, ut Aristoteles ipse judicat Lib. III. Rhet. cap. I. *videtur esse φορτικόν τι*, id est, *res molesta*, sive *tædiosa*, nempe quia in exercitio corporis consistit, veluti in brachiorum jactatione & totius corporis motu. Illa autem *ars servilis* est, *quæ maximè in exercitio corporis est occupata* IIX. Polit. II. Quod autem necessaria quandoque est, id fit per accidens, videlicet ob pravam, quæ in Auditore est, dispositionem, cui se accommodare Orator tenetur. Hic enim finis est, quippe cui nititur quid persuadere. Unde huc referenda sunt omnia, quæ in Oratoriâ traduntur. Referuntur autem eò nonnulla *per se*, quæ scilicet ex seipsis apta sunt ad persuadendum, ut sunt argumenta, enthymemata, inquam, & exempla, quæ & idcircò sola requiri fas est. *Justum* enim *est ipsis certare rebus*, ut iterum Philosophus I. Rhet. I. Ex quo & in Areopago Oratores prohibebantur quicquam *ἔξω τοῦ πράγματος, extra rem, proferre* lib. I. Rhet. I. Neque opus esset actione ullo pacto, si auditores omnes probi essent, neque ad aliud quicquam attenderent, præterquam ad

ad momenta rationum. Ob *improbitatem auditorum* interim quædam *per accidens* & secundariò istis jungere tenetur Orator ceu πάρεργα, in quibus est & actio censenda. Non est tamen & ipsa Oratori propria, sed communis illi cum aliis, ad quos etiam magis spectat, quàm ad ipsum Oratorem, & quidem præcipuè ad *histriones:* à quibus quod tradita olim fuerint, quæ ad actionem pertinent, non obscurè loco citato, videlicet III. Rhet. I. innuit ipse Philosophus, utut necdum artem de illâ *satis* dicat fuisse *elaboratam*. *Demosthenes* sanè actionem didicit ab *Andronico gesticulandi magistro*, ut est apud Quintilianum lib. XI. cap. III. pro quo Satyrum posuit *Plutarchus*. *Cicero* autem, teste iterum Plutarcho, *Roscio* quidem *Comœdo in levioribus*, *Æsopo* verò, *Tragœdo, in vehementioribus affectibus* magistro est usus.

LIII. *Elocutionis* autem alia quidem hactenus est ratio. Cum enim actio tota ex φαντασία seu opinione hominum pendeat, adeoque per accidens solùm Oratori sit necessaria, elocutio per se ad finem ejus refertur. Cujus ratio haud est obscura. Interest namque non parum ad rem ipsam declarandam, num ita vel ita quis dicat. Nempe, ut ad persuasionem accommodatè dicatur, necessarium est, ut oratio perspicua sit, & talis, quæ ab auditore Oratoris, qui ἁπλῶς sive simplicior est I. Rhet. II. intelligi possit: rebus item proportione respondeat & conformis sit unicuique generi causarum, & si quæ sunt alia talia. Aliud enim orationis genus competit Dialectico, aliud scientifico Doctori, aliud Rhetori, cujus auditor capax non est ejusmodi dicendi characteris, quali Dialecticus, multo minus talis, quali Analyticus utitur Doctor. Veluti, si Orator ἐντελεχείας, actus primi & secundi, causæ naturalis & moralis appellationes usurpet, non intelliget ille, quid sibi iis

 velit,

velit, consequenter autem nihil persuadebit.. At non de omnibus statim, quæ ad elocutionem pertinent, agendum est in Oratoriâ, sed de iis solùm, quæ propria sunt Oratoriæ elocutioni. Constat elocutio in genere tribus rebus, nempe elegantiâ, ut plana & perspicua sit: tum compositione seu constructione partium orationis, ut debito ordine illæ inter se cohæreant: & tandem dignitate, quæ verborum immutatione & artificiosis loquendi formis orationem quasi picturis variis exornat, quæ dignitas consistit in tropis & figuris dictionis. Jam autem hæc omnia non sunt propria Oratoris, verbi causâ elegantia. Purè enim non solùm Oratori dicendum est, sed & Poëtæ, histrioni, Historico item, & aliis. Quâ in re autem puritas illa consistat, docet Grammatica, unde istis omnibus petenda sunt, quæ ad puritatem faciunt sermonis. Non minus verò & congruâ connexione partium orationis opus est Poëtæ & reliquis ante nominatis, quàm Oratori. Quæ ergo his omnibus communia sunt, itidem in aliâ scientiâ, & quidem ipsâ rursum Grammaticâ, sunt proponenda: sicut & in Grammaticis suis libellis ea reapse proposuerunt veteres Grammatici scriptores. Veluti de *tropis* & *figuris* agit *Sosipater Charisius* lib. IV. Instit. Grammat. *Diomedes* lib. II. item *Ælius Donatus* in suâ Grammaticâ, aliique. Quæ autem aliquibus solùm ex his sunt communia, veluti Poëtæ, Oratori & Histrioni, ea ex professo tradenda sunt in illâ scientiâ, quæ quàm maximè iis indiget ad finem suum obtinendum. Hæc enim regula apodictica est, cum plures disciplinæ Practicæ indigent unâ eademque re ad assequendum finem suum, tum ex instituto de illâ, quantum ad ea, quæ singulis communia sunt, agendum esse in illâ disciplinâ, quæ præ cæteris illâ opus habet ad consequendum finem. Ex quo fit, ut de syllogismo in genere exquisite agatur in Analyticâ,
non

non in Dialecticâ, nedum Rhetoricâ, quantùmvis etiam hæ facultates syllogismo utantur. Quâ de re fusius dictum à nobis lib. III. de variis sciendi generibus capite I. num. XIX. Jam tropus magis Poëtæ est necessarius ad obtinendum finem suum, quàm Oratori. Huic enim negotium intercedit cum iis, qui facultate pollent deliberandi de suis actionibus, indeque & rationum quarundam, saltem ex verisimilibus & signis ductarum, sunt capaces. Ast isti res est cum ejusmodi hominibus, qui rationes non capiunt, sed similitudinibus solùm, tropis & figuris, per imitationem adhibitis, moventur. Ex quo & Aristoteles tropum vocat ποιητικὸν II. Meteor. III. & XI. Met. I. In Rhetoricâ ergò Philosophus ex professo agere non potuit, nisi de iis, quæ elocutioni Oratoriæ sunt propria, reliqua autem præsupponere debuit, ceu exactius in Poëticâ pertractata. Quod & ipsum illic fecisse patet ex iis, quæ verbis, ex III. Rhet. I. *Quare apparet* &c. adductis, subdit: *De illâ verò dictum est in iis, quæ sunt de Poëticâ.*

LIV. Porrò de *Poëticâ* quoque non dubitamus affirmare, quod scientificâ methodo ab Aristotele sit conscripta, indeque inter scripta ejus acroamatica & ipsa referenda. Nam & illam statim in principio *eâ* se traditurum *methodo* promittit, ut κτ̃ φύσιν πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων, *secundum naturam primum à primis inchoaret*, hoc est, eum ordinem servaret, quem res ipsæ, de quibus acturus erat, suppeditaturæ essent, ea, quæ priora essent secundum naturam, posterioribus præpositurus. Quod & præstitit reapse. Primum enim agit de re, dehinc de dictione, & prius de Poësi in genere, quam in specie: prius de convenientiâ, quàm differentiâ, quæ omnia naturæ ordine præcedere debent. De singulis porrò istis non ἀδόξως disseruit, sed ἀποδεικτικῶς, causas uniuscujusque adducendo, quod propo-

 situm

ſitum ſuum fuiſſe ipſemet in calce hujus libri non obſcurè docet, quum ait: *Ac de Tragœdia quidem & Epopœia & ipſismet* in genere, *& ſpeciebus ac partibus ipſarum, & quot ſint, & quibus differant,* καὶ τὸ εὖ, ἢ μὴ, τίνες αἰτίαι, *& quæ cauſæ ſunt, cur hæ meritò probentur reprobenturve, tum de objectionibus, ac ſolutionibus, ſatis hactenus à nobis hæc dicta ſunt.* Quod autem de Comœdiâ & ridiculis in iſto libro nihil occurrit, id tantum abeſt, ut inde methodum, quam ibi adhibuit, imperfectionis arguat, ut potius argumento ſit, librum hunc mutilum eſſe, ſeu quædam ejus injuriâ temporum periiſſe. De *ridiculorum* enim *ſpeciebus* ſe egiſſe in Poëtica ipſemet teſtatur lib. III. Rhetoricorum cap. XIIX. Sed & ipſo de Poëticâ libro cap. VI. de *comœdiâ* non minus, quàm *Tragœdiâ* ſe acturum pollicetur. De καθάρσεως quoqve ad hæc, quæ fit per *melodiam & rythmos,* pueris neceſſariâ ad rectam educationem, in Poëticis ſe, & quidem non ἁπλῶς ſeu *rudi Minervâ,* ut in *Politicis*, ſed σαφέστερον acturum promittit lib. IIX. Polit. cap. VII. quæ & ipſa tractatio hodiè deſideratur. De *elegiâ* verò & *epigrammate* ac *odis* quod nihil docuerit ex profeſſo, mirum non eſt, quod Poëtica tota in imitatione ſit occupata, id agens, ut lenocinio carminum aures hominum vulgarium demulceat, aliorumque geſta explicet, non quidem ut acta ſunt, ſed ut agi debebant, quo illos ſtimulet ac pertrahat ad vitam honeſtam. At iſta carminum genera non imitantur actionem ullam, ſed tantùm affectum exponunt amoris, aut triſtitiæ, vel laudant etiam aliquem, aut vituperio proſequntur.

LV. Sed de *Ethicâ* quoque & *Politicâ* Ariſtotelis idem dicendum, nempe, quod non ad ἐξωτερικὰ, ſed ἀκροαματικὰ συγγράμματα ſint referendæ. Patet hoc vel ex eo, quod *Ariſtoteles* paſſim diſertis verbis ἐξωτερικοὺς λόγους à *Politicis* & *Ethicis* ſcriptis ſejungit, velut lib. III. Polit. cap. VI. ubi hæc legun-

leguntur: Ἀλλὰ μὴν καὶ τῆς ἀρχῆς γε τοὺς λεγομένους τρόπους ῥᾴδιον διελεῖν. Καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις διοριζόμεθα περὶ αὐτῶν πολλάκις, *Sed enim & principatus modos facilius est dividere, & in exotericis λόγοις determinavimus de iis multoties*. Lib. VII. porrò cap. I. hæc habet verba: Νομίσαντες οὖν ἱκανῶς πολλὰ λέγεσθαι καὶ τῶν ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις περὶ τῆς ἀρίστης ζωῆς, καὶ νῦν χρηστέον αὐτοῖς, *Existimantes satis multa etiam in exotericis λόγοις de optimâ esse vitâ dicta, atque iis nunc est utendum*. Idem passim fit in Ethicis. Videantur loca num. XVII. adducta. Jam verò illi, quibus cum nobis nunc negotium intercedit, per λόγους in his locis intelligunt libros. Separat ergo *Aristoteles* vel ex istorum saltem sententia, libros *exotericos* à *Politicis & Ethicis*, inqve his provocat ad illos. Quomodo ergo jam amplius *Politici* & Ethici libri annumerabuntur *Exotericis?* Præterea *Aristoteles* passim *Politicam* suam φιλοσοφίαν nuncupat, velut I. Eth. cap. VI. (IV.) ubi, postqvam τὰ πολλαχῶς λεγόμενα distinxisset, & alia ἀπὸ τύχης ὁμώνυμα dixisset, alia ἀφ' ἑνὸς ἢ πρὸς ἕν, alia κατ' ἀναλογίαν, subjungit: *Hæc fortasse in præsenti sunt omittenda.* Ἐξακριβοῦν γὰρ ὑπὲρ αὐτῶν, ἄλλης ἂν εἴη φιλοσοφίας οἰκειότερον, *Nam ad disputandum de iis subtilius, alia Philosophia accommodatior esse videtur.* Et lib. III. *Polit.* cap. IIX. cum rationem reddit, qvare prolixius sibi agendum sit de differentiis rerumpublicarum, ait: Τῷ δὲ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι, καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παρορᾶν, μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν, *Ei enim, qui in unaquaque institutione philosophatur, neque ad agendum solùm curas & cogitationes suas confert, convenit acriter & non negligenter rem, de qua agitur, intueri, neque quicquam prætermittere, sed aperire ac patefacere in quaqve re veritatem.* Quibus verbis clarè significat, se philosophari in Politicis,

liticis, id est, de rebus Politicæ subjectis non perfunctoriè agere, sed accuratè, neque δόξαν habere pro fine, sed ipsam *veritatem.* At singula hæc non quadrant in exotericos libros. In his enim non philosophatur ille, hoc est, non utitur λόγοις ad φιλοσοφίαν accommodatis, sed popularibus. Unde λόγοι κατὰ φιλοσοφίαν non obscurè λόγοις ἐξωτερικοῖς opponuntur I. Eud. VII. & VIII. Item non accuratè, & exquisitè de rebus in iis disputat, sed ὡς τύπῳ, ut sæpe dictum: neque πρὸς ἀλήθειαν cuncta dirigit, sed πρὸς δόξαν, hoc est, *opinionem.*

LVI. Quid multa? Ipsa tractandi ratio satis demonstrat, *Aristotelem* non ἐξωτερικῶς, sed ἀκροατικῶς de rebus subjectis in *Ethicis* & *Politicis* egisse. Ita enim instituit hanc doctrinam, ut non temerè quid prætermittat, quod ad civilem locum possit facere: neque verò *communibus* & ἐνδόξοις, sed *propriis*, ac *domesticis* rationibus utitur, & ex fine cujusque reipublicæ proprio propria πάθη demonstrat. Imò non semel antiquos civilis Philosophiæ Scriptores eo nomine reprehendit, quod *Logicis*, id est, communibus & alienis rationibus in tractandis rebus civilibus fuissent usi. Exempli loco nobis sit *Plato.* Hic V. *de Republ.* collatione aliorum animalium docere intenderat, in eadem opera incumbere debere viros & mulieres. *Canis fœmina,* inquit, *aquè venatur ac mas;* & *fœminæ aves aliæque bestiæ fortissimè pugnant pro fœtibus suis atque mares, imò sunt fortiores & rapaciores, quàm mares. Decet* ergo *fœminas quoque inter homines in eadem incumbere munia, in quæ incumbunt mares;* atque ex hoc fundamento etiam *fœminas* vult *militare* lib. VII. & IIX. Quod & in Socrate *Lactantius* notat. lib. III. cap. 21: *Quoniam,* inquit, *videbat in cæteris animalibus officia marium & fœminarum non esse divisa, putavit oportere etiam mulieres militare, & consiliis publicis interesse*

teresse & magistratum gerere & imperia suscipere. At respondet Aristoteles, hoc non esse argumentari ex propriis principiis, sed alienis. Ἄτοπον, inqvit II. *Politic.* V. δὲ τὸ ἐκ τῶν θηρίων ποιεῖσθαι τὴν παραβολὴν, ὅτι δεῖ τὰ αὐτὰ ἐπιτηδεύειν τὰς γυναῖκας τοῖς ἀνδράσιν, οἷς οἰκονομίας οὐδὲν μέτεστιν, *Absurdum est factâ cum bestiis comparatione, probare eadem studia sequi, eademqve munera obire mulieres & viros oportere: cum ad bestias nullum rei domesticæ studium pertineat.* Neque enim Oeconomiam instruere, & Rempublicam curare necesse habent, sicut homo. Unde fit, ut eæ qvidem eadem munera subire possint, homines non item, sed partiri ea necesse habeant pro diversitate sexus, ut mas quidem Rempublicam & belli munia administret, domus autem curam & administrationem rei familiaris uxori permittat: ad quæ munia qvoque ipsa eos disposuit natura. Vir enim, ut loquitur I. Oecon. cap. III. est ἀμυντικώτερος, *ad propulsandam injuriam aptior,* διὰ τὴν ἀνδρίαν, *propter fortitudinem: fœmina* autem est φυλακτικωτέρα διὰ τὸν φόβον, h.e. *ad rem familiarem tuendam aptior, propter metum.* Reprehendit ergò hîc *Platonem Aristoteles*, qvod non ex *naturâ rei* rationem duxerit, sed ex *similitudine*, sive qvòd non ex propriis rem propositam tractârit, sed ex alienis, qvod ἐξωτερικῶς quidem consideranti condonari potuisset, at non τῷ φιλοσοφοῦντι. Non ergò rudi Minervâ & ἐξωτερικῶς tractare voluit in Politicis *Aristoteles* res *Politicas*, sed ἀκριβῶς, & ἀναλυτικῶς, non ex alienis, & communibus, sed ex propriis & ipsâ naturâ hominum, ac societatis civilis ductis principiis, quæ tractatio est propria scriptis acroamaticis, ut supra demonstratum. Accedit, qvod Aristoteles in *Politicis* suis Auditorem reqvirat οἰκεῖον I. Ethic. cap. I. qui non necessarius est ad Exoterica scripta intelligenda. Ea enim in communem τῶν ἔξωθεν usum Philosophum

conscripsisse itidem jam antè aliquoties fuit observatum.

LVII. Deniqve traditam fuisse ab Aristotele moralem & civilem doctrinam non exotericis solùm, sed etiam ἀκροαματικοῖς συγγράμμασι & alii non infimæ classis auctores testantur. Cicero sane lib. V. de finibus ait, Peripateticos de summo bono non solùm populariter scripsisse, sed etiam limatè, seu καθ' ἀκρίβειαν. Ait enim: *De summo bono, quia alia genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt, non semper idem dicere videntur Peripatetici.* Qvid autem hæc verba aliud ostendunt, quàm de summo bono, adeoqve de re civili, in acroamaticis etiam libris limatius esse à Peripateticis disputatum, quod si ab ullo, certè ab Aristotele, sectæ istius Principe, factum est. *Alexander* quoqve expressè ait, *Aristotelem* de moralibus rebus in *Politicis* τῆς τοῦ ἀληθοῦς χάριν εὑρέσεως, *veritatis inveniendæ gratia* egisse. Verba adduximus supra num. LII. At in *Exotericis* cuncta non τῇ ἀληθείᾳ, sed δόξῃ, *non veritate, sed opinione* fuit metitus. Tandem non solùm Alexander c. l. sed & *Diogenes Laërtius lib. V. in vitâ Aristotelis libros Politicos*, quos reliqvos adhuc habemus, vocat libros ἀκροάσεως, qvod nomen inditum non reperimus ulli exoterio scripto. IIX. *Physicorum* libri autem eo insigniuntur, quos ἀκροαματικοὺς esse nemo facilè fuerit inficiatus. Imò hâc ipsâ de causâ, ut significetur, hos libros ab Exotericis esse distinctos & acroamaticis annumerandos, libri ἀκροάσεως dicuntur, quasi dicas tales libros, quos non quorumvis sit intelligere, sed eorum, qui ἀκροάσει assveti sunt, sive modo docendi, quem *Aristoteles* observavit in sermonibus suis, ad ἀκροατὰς οἰκείους directis, de quibus ipse loquebatur supra in *Epistola* ad *Alexandrum*. Quod huc appellatione ista respiciatur, inter alios insinuat & *Plotinus*

lib.

lib. VII. Ennead. III. cap. XII. quando tacitè mordens *Aristotelem*, dicit, ſe non eſſe aſſeqvutum ſenſum dicentium, tempus eſſe menſuram menſuratam, & addit: Αἴτιον δὲ τοῦ μὴ συνιέναι ἡμᾶς, ὅτι τὸ ὄν, εἴτε μετροῦν, εἴτε μετρούμενον, οὐκ ἐκδηλοῦσι διὰ τῶν συγγραμμάτων ὡς εἰδόσι καὶ ἠκροαμένοις αὐτῶν γράφοντες, *Cauſa vero, ob quam minimè intelleximus, hæc ipſa eſt, quoniam in ſcriptis ſuis, quidnam in ſeipſo ſit tempus, ſive menſurans, ſive menſuratum denominetur, nequaquam explicant, ac ſi planè cognoſcentibus auditoribusque illa ſcripſiſſent.* Nempe alludit ille ad obſcuritatem, quàm familiarem *Ariſtoteli* eſſe in acroamaticis ſcriptis ſæpius jam eſt dictum. Quanquam ab eâ ſolâ libri iſti ita appellati non ſint, ſed præterea, & quidem inprimis, à diligenti, exactâ, certaque methodo in illis obſervatâ, quâ Ariſtoteles uſus non eſt, niſi cum ſermonem habuit ad auditores οἰκείους, qui ut πρώτως καὶ κυρίως ἀκροαταὶ, ita lectiones aut tractatus ipſorum uſui deſtinatæ, quod attentionem & induſtriam ſingularem auditoris requirant, propriè ἀκροάσεις dicuntur. Lectio enim, quæ habetur à Doctore, & ἀκρόασις, quæ ita dicitur ratione habitâ auditoris, differunt ſolùm τῷ λόγῳ, at re ipſa idem ſunt, perinde, ut actio & paſſio, doctrina & diſciplina III. *Phyſ.* IV. Sed & Galenus in fragmento de ſubſtantiâ naturalium facultatum ἀκροάσεις non niſi in gratiam genuinorum auditorum ab Ariſtotele non minus, quàm Theophraſto, ſcriptas docet, ceu patet ex verbis ejus jam ante adductis. Cùm ergo & Politici libri ἀκροάσεις dicantur, quod nomen ſolis acroaticis proprium eſt, exotericis utique non poterunt annumerari.

LVIII. Sed quid ad illud dicemus, quod ipſe *Ariſtoteles* ἀκρίβειαν à libris ſuis Ethicis removere videtur in locis num. XLII. citatis? Id dicimus, *Ariſtotelem* ibi non omnem ſimpliciter ab *Ethicâ* πραγματείᾳ excludere ἀκρίβειαν, ſed ta-

lem solùm, qualis in certis quibusdam aliis deprehenditur, ut in Mathematicis disciplinis. Non enim in omnibus scientiis æqualis ἀκρίβεια obtinet, sed habet unaquæque suum peculiarem τρόπον, qui variat pro ipsarum rerum, quæ docentur, dissimilitudine & varietate. Inde sicuti in iis, quæ opificum industriâ elaborantur, non eandem ab omnibus operis perfectionem exigimus, (quis enim ab eo, qui in chalybe aut adamante figuras sibi propositas repræsentat, exigat, ut æquè propè ad exemplaris propositi similitudinem accedat, atque is, qui ex cerâ imagines fingit? Et quis ab hoc requirat, ut æquè exemplaris propositi speciem exprimat, atq; pictor, qui rem aliquam vivis coloribus depingere potest?) ita nec omnem quoque σκέψιν in scientiis sine ullo discrimine ad perfectam illam & immutabilem veritatis normam exigere debemus. Quid namque hoc aliud esset, quàm eundem calceum omni pedi induere, aut uno collyrio, quod faciunt imperiti Medici, omnium oculos curare velle? Ut enim hoc congruè fieri non potest, ita nec eadem in cunctis scientiis esse potest ἀκρίβεια sive accuratio ob materiæ subjectæ varietatem. Inprimis autem Mathematica certitudo, quæ summa est, in omnibus postulari nec debet, nec potest. In Mathematicis enim res abstrahuntur ab omni materiâ, & omnia ex primis earum hypothesibus, quæ immotæ planè sunt veritatis, fluunt, quibus stantibus firma sunt & immota alia, quæ ex illis deducuntur. Ast longè aliter se res habet in aliis scientiis v. g. in scientiâ naturali. Hæc enim considerat res materiatas: materia autem causa contingentiæ est, indeque fit, ut demonstrationes Physicæ non omnes sint necessariæ, sed in quàm plurimis sufficit, si ἐπὶ τὸ πολὺ rem ita se habere sit demonstratum. Unde Aristoteles ipse: *Certitudinem Mathematicam*, inquit, *non oportet in cunctis quærere, sed in iis,*

in iis, quæ non habent materiam. Et subdit: *Ideò naturalis hic modus non est. Tota namque natura ferè materiam habet,* II.Met.III.

LIX. Non naturales autem solùm res talem ἀκρίβειαν non ferunt, sed neque civiles, *Tantam* enim, ait idem lib. I. Eth. cap. I. *honesta & justa, quæ civili facultati ad considerandum proposita sunt, habent varietatem, ut non natura, sed νόμῳ*, id est, *opinione hominum*, ut explicavimus supra num. XVII, *constare videantur*. Non enim omnia omnibus justa & honesta esse videntur, sed quæ his justa & honesta, aliis injusta & turpia esse reputantur. Ita saltare erat honestum apud *Græcos*; at apud *Romanos* turpissimum, teste *Æmilio Probo* in Epaminonda, & aliis. Et cum justum sit, qvod legibus aut jubetur, aut permittitur, injustum quod prohibetur, cum pro rerumpublicarum varietate leges varient, apparet non in omnibus rerumpublicarum formis eadem justa aut injusta haberi. V. g. In Regno justum est, uni parere omnes: at in Aristocraticâ hoc esset injustum, magis adhuc in Democratiâ. Οὐ τὸ ἀγαθὸν τὸ αὐτὸ πᾶσιν· οὔτε κακὸν ὅμοιον, οὐ τὸ αἰσχρὸν, οὐ τὸ καλόν· νόμος μὲν γὰρ δὴ καὶ δίκη ἄνω καὶ κάτω φέρεται διασπώμενα καὶ σπαρασσόμενα· μὴ γὰρ ὅτι γένος γένει ὁμολογεῖ ἐν τούτοις, ἀλλ' οὐδὲ οἶκος οἴκῳ, οὐδὲ ἀνὴρ ἀνδρὶ, οὐδὲ αὐτὸς αὑτῷ, inquit *Maximus Tyrius* Dissert. I. *Nec bonum idem omnibus, nec idem omnibus malum, nec idem turpe aut honestum. Ut de legibus & jure taceam, quæ pro cujusqve placito in omnes ita partes distrahuntur ac vellicantur, ut non modò gens cum gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familiâ, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat.* Legi etiam potest *Sextus Empiricus* lib. III. Pyrrh. Hypot. cap. XXIV. & lib. X. contra Dogmaticos. Id quidem negari non potest, ut verum aliquid suâ naturâ tale est: ita etiam bona, honesta &

justa quædam esse naturâ, nempe quæ conformia sunt legi naturæ, veluti depositum esse reddendum, parentibus & magistratui esse obediendum, & quæ sunt id genus alia, in quibus etiam πρώτως καὶ κυρίως Politica est occupata. Habent tamen & ista suas limitationes & exceptiones, quæ ex singularibus circumstantiis oriuntur. Ita honestum naturâ est, pro patriæ incolumitate belligerare: at hoc adeò universale non est, quin patiatur exceptionem. Si enim causa belli injusta sit, honestum non est. Sic justum est depositum reddere, iniqvum tamen, si furioso depositum gladium reddas, quo alterum lædat. Deniqve magistratui obedire, & honestum, & justum est: at nec honestum, nec justum, si magistratus tibi quid imperet, quod contra Deum est, & bonos mores, & tu in hac re ei obtemperes. Tunc enim illud potius tenendum, quod & Socrati frequentatum esse legimus, Deo plus quàm hominibus esse obediendum. Hinc ergò fit, ut ea qvoqve, quæ in Politicis proponuntur, non sint absolutè necessaria, sed multa solùm ἐνδεχόμενα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, *ut plurimum ita se habentia*. Principia enim, ex quibus concludit Politica, magnam partem sunt talia: conclusiones autem ejusdem sunt naturæ, cujus sunt principia *lib.I.Post.cap.VI.* Hâc igitur de causâ dicit *Aristoteles*, in *Politicis* non postulandum esse, ut omnia λεπτομερῶς καὶ ἀκριβῶς pertractentur, sed contentum esse oportere auditorem, si res κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην pertractentur. *Hoc enim esse auditoris πεπαιδευμένου, eatenus in unoquoqve genere veritatem exquirere, quatenus exigit rei natura, I.Eth.cap.I.* Sufficere itaqve, si de talibus ita disputetur, ut ex contingentibus plerumqve procedatur, de reliquis autem, quæ his aut illis justa aut honesta esse videntur, satis esse, si παχυλῶς agatur & rudi Minerva adumbrentur, qvod πρώτως καὶ μάλιστα circa ea Politica non versetur. Qvod magis adhuc dicendum est de

iis,

iis, quæ per accidens ibi considerantur, ut sunt anima & facultates ejus, item affectus, & similia ad Physicam propriè pertinentia. Ut enim Medico curatori necessaria est aliqua cognitio corporis: Ita Politicum qvoqve, qui animæ Medicus est, ut *Plato* eum vocat in *Politico*, aliquâ animæ notitiâ instructum esse oportet, non exqvisitâ tamen & accuratâ (hæc enim ad Physicam, ut dixi, pertinet) sed tali, quæ ad finem ipsius obtinendum sufficit, sicut & de Medico suo *Galenus* ait, qvod ei necessaria sit aliqua animæ cognitio, non exquisita, sed qualis sufficit ad morborum fontes aperiendos, in *lib. de facultatibus naturalibus*. De talibus ergò Politica agit παχυλῶς solum seu rudi Minerva. Non enim considerat ea notitiæ ergò, sed ad πρᾶξιν omnem istorum dirigit cognitionem. Ad hunc autem finem obtinendum sufficit tenuis aliqva istiusmodi rerum cognitio, sicut supra ex *Aristotele* n. I. dicebamus, fabro satis esse, si ὡς τύπῳ cognoscat angulum rectum, qvoniam in tantum hunc cognoscere quærit, in quantum ipsi cognitio necessaria est ad agendum seu efficiendum quid, nempe ad ædificandam domum. At *Geometra* accuratissimè angulum rectum perpendit, qvia pro fine habet γνῶσιν lib. I. Eth. c. VII. Verùm inde nondum seqvitur, Politicam non esse scientificâ methodo traditam, propriâ acroaticis libris. Id enim omnibus scientiis commune est, ut rudi Minerva & superficie tenus solùm pertractent, quæ per accidens veniunt sub considerationem earum. Quin ἀπαιδευσίας certum indicium esset, si quis ibi locorum exquisitè talia pertractare vellet, veluti in Physicis magnitudinem, aut corpus, quà tale; aut motum in Philosophiâ primâ &c. Sufficit, si in qvâvis scientiâ ea accuratè, pro naturâ tamen & indole subjectæ rei, tradantur, quorum disquisitionem sibi per se vendicat unaquæque. At hoc ipsum qvoqve observavit *Aristoteles* in *Politicis*. E. g. de summo bono, item de virtutibus cum in genere, tum in specie,

cie, & similibus, quorum per se est Politica disciplina, ita ibi egit, ut exqvisitè, qvoad ejus fieri potuit, cujusqve naturam expenderit, nihil omittens eorum, quæ moneri par erat: qvod facilè advertet, qui tractationem istam cum iis, quæ de talibus in *Rhetorica* tradita sunt, contulerit & diligentius pensicularit. Sed hac de re jam aliqv.d dictum est etiam num. LIV. Hîc autem, quæ legantur, d gna sunt verba Eustratii ad cap. III. libri I. Ethic. scribentis: *Cum morali ac civili scientiæ subjecta sint vitæ negotia, quæq; in iis fiunt actiones & operationes, quæ omnia ut plurimum evenire consueverunt, neqve semper eundem modum servant, sed interdum in contrarium delabuntur atque excidunt, orationem qvoqve, quæ de hujuscemodi subjecto pertractat, similem esse necesse est, ut minimè debeant in hujuscemodi materiâ necessariæ demonstrationes requiri.* Ὥσπερ γὰρ μέτρον οἱ λόγοι τῶν πραγμάτων εἰσὶ περὶ ὧν λέγονται, ἐφαρμόζον εἶναι πρὸς τὸ μετρούμενον· οὐ δύναται τὸ ἀεὶ ἔχον ὡσαύτως τῷ ἐπιτοπολὺ οὕτως ἔχοντι ἐφαρμόζεσθαι, *Cum enim oratio quasi mensura sit rerum, de quibus agit, mensuramq; oporteat ei, quod qvis metitur, esse conformem, fieri nullo modo potest, ut id, quod in eadem semper stabilitate perseverat, sit conforme ei, qvod instabile est, ac plerumq; & non semper existit.* ὑπερβάλλεται γὰρ τὸ ἀεὶ ὂν τὸ ποτὲ μὴ εἶναι ἀνακοπτόμενον, *superatur enim sine dubio ab eo, quod semper est, id, quod aliquando interruptum est. Si igitur,* pergit, *perinde ut materia subjecta, hoc est, honesta ac justa postulant, quæ inter homines fiunt, expositio, id est, manifestatio ac declaratio facta fuerit, satis exactè,* ἱκανῶς, *dictum existimetur. Neqve tamen idcircò quispiam moralem ac civilem methodum rejiciendam putare debet, quod Aristoteles talem solùm de ipsis doctrinam polliceatur. Nam eadem de causa oporteret etiam elegantissimas quasqve ac præstantissimas artes repudiare, cujusmodi sunt Grammatica, Rhetorica, Medicina ac Dialectica, ac cæteræ demum omnes, quæ in materialibus rebus versantur: imò naturam quoque ipsam, cujus in materiâ materialibusq; rebus negotium est, propterea quod non stabili semper tenore progrediuntur, sed quandoq; fine suo frustrantur.*

FINIS.

)o(

ADDENDA

Ad pag. 4.

POst verba illa, *ac si non edita essent:* Memini harum literarum & Simplicius Procemio Comm. in librum I. Aristotelis Physicorum.

Ad pag. 139. post verba ista, *doctrina & disciplina III. Phys. IV.* Atque hinc & Simplicius Procemio Comm. in libros Physicos Aristotelis: Διχῆ δὲ διῃρημένων αὐτοῦ τῶν συγγραμμάτων· εἴς τε τὰ ἐξωτερικά, οἷα τὰ ἱστορικά, καὶ τὰ διαλογικά, καὶ ὅλως τὰ μὴ ἄκρας ἀκριβείας φροντίζοντα, καὶ εἰς τὰ ἀκροαματικά, ὧν καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ πραγματεία, ἐν τοῖς ἀκροαματικοῖς ἀσάφειαν ἐπετήδευσε, διὰ ταύτης τοὺς ῥαθυμοτέρους ἀποκρουόμενος, ὡς παρ' ἐκείνοις μηδὲ γεγράφθαι δοκεῖν, *Cum bifariam scripta ejus,* Aristotelis, *dividantur, in ea, quæ exoterica,* sive *externa, nominabat, ut sunt scripta historica & dialogica, & in universum ea, quæ diligentiam exactam non requirunt, & in ea, quæ acroamatica, sive auscultoria nominabat, in quibus præsens tractatio censetur, in acroamaticis datâ operâ obscurus esse voluit, ut segniores ab hujusmodi studio repelleret & arceret, quasi ob illam scripta non videantur.*

INDEX
PRÆCIPUARUM RERUM ET VERBORUM
In
PRODROMO HOC CONTENTORUM.

nis

 mnia


horum

Oratio-

R.

Mendæ tollendæ.

Pag. 21. lin. 17. legendum: *paulatim*. p. 13. l. 13. *licebat*. p. 33. l. 23: *potuissent*. l. 26. *civilitatis*. l. 27. *ingenuorum*. p. 42. l. 28. post, ἔγκυκλον, *vocat Pollux* id &c. p. 46. l. 6. *deliberare*. p. 78. l. 12. ἀκροάζεις. p. 108. l. 30. *Simplicius*. p. 116. l. 25. εὗρεσιν. p. 119. l. 18. pro, *assyllogistice non syllogistice*.



Aristoteles

27